

IN NOMINE JESU!
DISPUTATIO THEOLOGICA,
DE
SACRAMENTO
BAPTISMI,

Cujus orthodoxia secundum Verbum DEI,
JUSSU REV. FACULTATIS THEOLOG.
contra pseudodoxiam
Pontificiorum, Calvinianorum, Photinianorum &c.
vindicatur,

In Doctoralis Renunciationis
sex Licentiatorum Actu solenni, in Tem-
pio Academico Lipsiæ 30. Septem-
bris celebrato,

exhibita

à
JOHANNNE HÖFER Græcio-
Varisco, SS. Theol. Licent. Ecclesiæ Quedlinbur-
gens. ad S. Servatii & Aulæ Pastore, reliquarum In-
spectore, & Consistorii ibid. Assessore,

*Ut exinde pro Locò in Facultate Theolog. consequen-
do placida συμφιλολογία instituat.*

LIPSIÆ,
TYPIS GREGORII RITZSCHII.
Anno M DC XL.

TMD 114

VIRIS

Multum Reverendis, Amplissimo, Clarissimis, Pre-
stantissimis, Eximiis, Doctissimis, Humanissimis,

DN. JACOBO Weller/NEUKIRCHENSI
Varisco, SS. Theol. Doct. ac Ephoriæ Eccle-
siarum Brunsvicensium Coadjutori;

Net non

Reverendi Ministerii Quedlinburgensium.

DN. M. ANDRÆ FREITAGIO Pe-
nicensi, ad S. Benedicti

DN. M. SETHO CALVISIO Lipsiensi,
ad S. Nicolai

D. M. WOLFGANGO Laterman Qued-
linburgensi, ad S. Basilii

DN. JOHANNI VILITZIO Marchiaco,
ad S. Gvigverdi

DN. M. DANIELI Heimburger Quedlin-
burgensi, ad S. Ægidii

DN. JOHANNI Pleßen Magdeburgensi,
Ditfurdi

DN. MARTINO Spterling Hessensi, ad
S. Benedicti

DN. JACOBO Hartman Quedlinburgen-
si, ad S. Nicolai

DN. JOHANNI Berdangf Stolbergensi, ad S. Ser-

DN. CASPARI Hoffman vatii Præbendariis

DN. M. JOHANNI Bethmann Quedlin-
burgensi, ad Spir. S.

DN. CASPARI Grummelshausen Sulen-
si, ad S. Johannis

Pastoribus :

Diaconis :

Pastoribus :

Collegis & in Christo Fratribus suis dilectissimis,

In sinceram amoris sui testificationem.

dicas ac offert

AUTOR.



Ides, quando *Heb. 11, 1.* dicitur ἐλπίζουμένων ὑποστά-
σεως πραγμάτων, ἐλεγχῶν ἔβλεπουμένων, exclamat
Chrysolomus: Βάβα οἷα εἶπεν. Et fidelis quisque
cum eo. Quid namque dictum, fides est hypostasis
ἐλπίζουμένων? Respondet Chrysof. quando, quæ in
re sunt, videntur non habere substantiam, fides
eis substantiam largitur: imò, ipsa est eorum essen-
tia: Resurrectio nondum advenit, neque est in substantia: verum
spes facit eam subsistere in anima nostra. Et ex hoc forte *Primasius*:
Fides est ea credere, quæ non videntur, & dum ea credimus in veritate aut
fuisse, aut esse, aut futura esse, quæ non vidimus: ipsa fides facit ea subsistere
in corde nostro, quasi oculis corporeis. Fides est ita firmum esse animum
de his, quæ non videntur, sicut de his, quæ jam videntur: & dum hoc
fit, fides facit ea subsistere in nobis credendo. Ac ipse Spiritus San-
ctus Interpres sui infallibilis *cap. 3. Heb.* se ipsum explicat, quid hy-
postasis h. l. notare debeat. Cum namque *v. 14.* dicit: *Christi facti sumus*
participes, si modo tὴν δεξιὴν τῆς ὑποστάσεως μέγχει τέλος βεβαίαν κα-
τάχωντες Principium, vel ut per Hebraismum nonnulli explicant, rem
præcipuam, fidem, usque ad finem firmam tenuerimus: id jam manifestius
prolocutus erat v. 6. Christus, ut Filius, domui suæ præest, cuius domus sumus
nos, εἰάνπερ τὴν παρρησίαν καὶ τὸ κάύχημα τῆς ἐλπίδος μέγχει τέλος
βεβαίαν κατάχωντες; Si fiduciam & gloriationem spei ad finem usque
firmam tenuerimus. Ita *S. Chrysolomus, Theodoretus, Theophyla-*
ctus, Oecumenius, q. d. participes facti sumus CHRISTI, Christo-
que insiti: sed id nobis non proderit, nec CHRISTI gloriam & æ-
ternam hæreditatē participabimus, nisi in fide Christi persistamus.
Quid ἐλεγχῶ? Denuò Chrysolomi verba adducimus, ubi inquit:
ἡ πίστις ὅτι οὐκ ὄψις τῶν ἀδύτων, καὶ εἰς τὴν αὐτὴν τοῖς ὀφθαλμοῖς φέρεται
πληροφωρίαν, ἅ μὴ ὀφθαλμοῖς. *Bonaventur. quæst. 2. Artic. 1. in dist. 2. 3. 4.*
Ad esse fidei Virtutis concurrunt actus rationis simul & voluntatis,
quod benè innuit Apostolus, in ipsa notificatione fidei, cum dicit:
Fidem esse substantiam rerum sperandarum, argumentum non ap-
parentium: tangens, quod est in eâ cognitionis, & quod est affectio-
nis. Hæc ipsa innuentes *Theodoret. & Theophylact. in b. l. Hieronym. in*
cap. 4. ad Gal. Thomas, secundâ 2. Artic. pag. 344. Damascen. l. 4. de fide
cap. 11. Fidei definitionem hîc tradi scribunt, non saltem encomium,

1.

2.

3.

4.

5.

6.

7.

8.

9.

10.

11. ut voluit *Erasmus*. Quare & *B. Lutherus* describit fidem, quod sit certa altissimeque animo insidens divinæ bonitatis & gratiæ, per verbum Dei cognita, atque manifestata, fiducia, quæ *Bellarmino* describendo approbavit: Hæc omnia de fide, quæ per Spiritus Sancti gratiam fidelis hominis rationem, sensum carnis, & veterem Adamum Satanamque incredulitatem nostram confirmantem redarguit, expugnat, in assensum & obsequium Deo captivat: Ideo dicitur ελεγχω evidens argumentum & quasi convictio, quibus repugnantia & reluctatio sensuum corporis & mentis subinnuitur: ut in quo Elenchi persuasionisque opere ad credendum Deo tota Scriptura occupata est. Firmissima ergo est basis, cui innitens, inque eam subsistens anima, carnis & mundi insultus excipere potest atque retundere, ne labascens & convicta manus porrigere teneatur; quam non humanæ rationis figmenta & traditiones: sed sola Scriptura θεόπνευστος 2. Tim. 3. ac η σοφία τῆς Θεῆς 1. Cor. 2. v. 7. λόγος τῆς Θεῆς 1. Thess. 2 v. 13. qui ostendit τὸ ἀμεταβέβητον ἡς βαλῆς αὐτῆς Heb. 6, 17. qui יְקוֹם לְעַלְמֵי יְקוֹם Isa. 40. v. 8. stabit in æternum, habetque mera χαρίσματα Θεῆς ἀμεταμέλητα Rom. 11. v. 29. Non ergo fides est tantum notitia ac intellectus habitus, non est quædam dubitatio, non est ἀπόληψις σφωδρὰ vehemens opinio, ut Philosopho 4. Top. cap. 5. placet, nec ut in Leovicii, & Copernici mente subsistebant Ecclipses, multis post annis futuræ, quæ suis fulciebantur hypothesebus: vel ut Epicycli Lunæ in mente Ptolomæi; in corde hominis fidelis est remissio peccatorum & vita beata: sed est יֵצֵר סְמוּךְ תְּצַר לְשׂוֹן שְׁלוֹם בְּטוֹחַ בִּיהוָה Cogitatio suffulta, custodiens pacem, pacem quia in Jehova confidit, ut Isa. 26, 3. innuitur נֶכֶן לֵב בְּטוֹחַ בִּיהוָה spiritus firmus Psal. 112, 7. firmum cor, fidens in Domino נֶכֶן רוּחַ פִּרְמוּס Psal. 51, 12. Ut religio illa, quæ in corde non parit, nec per se parere potest ejusmodi hypostasim ac elenchon, sed insuper alia pro aliis assumit, non possit esse divina, antiquissima solatii & sanctitatis feracissima, aliisve venditari absque conscientie cauterio. Et secundum hæc doctrinam initiationis ad Christianismum de Baptismo sub examen si revocaverimus, facile cuilibet veritatis studioso patebit, Orthodoxias palmam, præter Lutheranam, nulli religioni esse deferendam; Quod dum facimus, Christus Spiritu Sancto suo nos adjuvet, Amen.

ΘΕΣΙΣ Ι.

Baptismus, proprio in significato notat aquæ & immersionem & asperionem.

ΕΞΗΓΗΣΙΣ.

Αὐτὸ βαπτίζεν esse βαπτισμὸν & βάπτισμα, nemo inficias ire poterit; Proprius verò quis sit vocabuli significatus, non omnium eadem mens: Usus ex quo significationis proprietas definienda, tam apud profanos, quam hagiographos evincit, generaliter notare, quamvis ad ablutionem aquæ applicationem, ea sive fiat immersione sive asperione. Est etenim usus aquæ in naturâ duplex potissimum intentus; puta ad bibendum & refectioem, lavandum & purgationem, qui posterior hujus loci, modò absolvitur utroque, immersione & asperione, uno verò describitur vocabulo βαπτίζεν. Audiamus, quo nomine veniant purificationes & lotiones quotidianae Phariseorum, quas non tam legis divinæ dictamine, *Num. 19. v. 20. Levit 14. v. 7. cap. 16. v. 9.* quam seniorum additamento usurpabant, *Matth. 23, 25. Marc. 7. v. 3. & 8. Luc. 11. v. 39.* (Unde Justino Martyre referente, Baptistæ Pharisei appellati sunt) quarum etiam quasdam in primitiva Ecclesiâ præsertim Apostolorum tempore non prorsus abolitas, quidam ex *v. 2. cap. 6. Hebr. βαπτισμῶν διδασχῆς* Baptistarum doctrinæ, in multitudinis numero, cum Apostolus *Eph. 4.* unum Baptisma expressè nominet, docere satagunt. Inquiramus LXX. quo titulo reliquas apud Judæos ex lege usitatas purificationes, sanguinis *Exod. 24. v. 6.* Aquæ cinere vaccæ rufæ præparatæ, *Num. 19. v. 9. Hebr. 9, 10.* Quæ non immersione fieri potuere, suis commendarint. Ubiq; fermè nostrum ad invenimus vocabulum, uti & *Judich. 12, 8. Et Syrac. 34. 30.* Aggrediatur quispiam, & excutiat tropicas ex hoc vocabulo ductas locutiones, & candidè dicat: an non tam asperio quam immersio, in plurimis respiciatur? Pervidentes hæc ipsa Adversariorum plurimi, nostram hanc thesin ipsimet veram profitentur & confirmant.

ΑΝΤΙΘΕΣΙΣ

I. Pontificiorum. Bellarminus namq; *lib. 1. de Baptism. cap. 1.* scribit: significat Baptisma propriè immersionem. Ordinariè enim Baptismus fit per mersionem, idque ad Christi sepulturam representandam, juxta illud *Coloss. 2, 12.* Consepulti ei per Baptismum: Cui firmi-

ter astipulatur *Pistorius in Hodeget. pag. 492.* Sed reponimus his, quæ agnoscant vera, *Catechism. Trident. cap. de Bapt.* quæ ita habent: qui hoc Sacramento initiari debent, vel in aquâ merguntur, vel aqua in eos perfunditur, vel aquæ asperione tinguntur. Ex his autem ritibus quicumque servetur, Baptismum verè perfici credendum est. Et si verè; necessum est, ut secundùm proprietatem literæ, quæ veritatis documentum est firmissimum.

8. II. *Calvinianorum*, quæ convenit cum dictâ Pontificiâ, uti videre licet, *l. 4. Institut. Calvin. cap. 15. §. 19. Epist. 2. Beza. Loc. Com. Musculi de Bapt. l. 3. System. Theolog. Keckerman. c. 8. p. 451. §. Etsi Baptismus &c.* Quibus cum faciunt *Herbornenses*. Sed opponimus his contradicentes *Calvinianos alios, Heidelbergenses, Sedanenses, Hemmingium, &c.* Utrisque & Pontificiis & Calvinianis satisfacere poterit hætenus in ipsorum Ecclesiis observata praxis, quæ ut plurimum non immersione, sed potius affusione vel asperione peragitur, quæ aut est secundum verbum & vera; vel absque verbo & falsa.

10. III. *Photinianorum*. Illi etenim βαπτίζω in propriâ suâ significatione non pro immersione vel asperione, sed doctrinæ initiatione sumi contendunt. *Socin. disp. de Bapt. c. 2. p. 25.* sed irritò conatu & vanò hoc asseritur. Nullus siquidem ex totâ sacrâ Scripturâ allegari poterit locus, ubi vox hæc absolutè posita, saltem doctrinâ imbuere, proprietate literæ notet, quod vel ipse *Socinus* sui immemor fatetur, d. l. dicens: Hæc verbi Baptismi notio vel per Metonymiam inducta est, quia *Johannes* simul & baptizabat & docebat, & ita quod ab eo fiebat, pars una pro altera sumta est; vel per metaphoram, cum non secus ac per Baptismum *Johannis* corpus abluebatur, similiter per doctrinam illius animus expurgaretur. Loca, quibus *Adversarii* abutuntur, tantâ perspicuitate coruscant, ut etiam ipsorum oculos stricturis suis facile ferire valeant.

ΠΡΑΞΙΣ.

13. *Proverbiorum 30, 5.* dicitur, quod omnis sermo Dei sit repurgatus, & Clypeus fidentibus in eo. Ne addas verbis ejus, ne fortè increpette (Deus) & mendax sis. Quî autem hoc ipsum verbum, quo Deus Baptismum instituit, Pontificiæ Calvinianæ religioni addidit, poterit esse depurgatum, cum traditione, quæ verum ejus usum, immersionem, secundum doctorum ipsorum confessionem, ad-

me-

merit, conspurcatum? ut scientes, contra proprium verbi signi-
ficatum fieri aspersionem, tamen ipsi retineant, semper inaudiant
in conscientia: super verba Dei addidi; mendacem me factum.
inrepatio divina ubique manet. Qui poterit esse Clypeus, & non
potius ad dubitationem, an secundum verbum Domini verè sit ba-
ptizatus à suis, quotidianum argumentum? *Qui namque secundum
voluntatem & mandatum Domini, quod verborum ejus proprietates impor-
tat, non est baptizatus; ille non rectè est baptizatus: Atqui ex sententiâ
Pontificiorum & Calvinianorum Doctorum, ille iste &c. qui non immer-
sione sed affusione vel aspersione baptizati, secundum voluntatem Domini
baptizati non sunt. Ergò non rectè; non verè baptizati.* Photiniana reli-
gio, quia ipsam basin fidei verbum destruit, fidei fructus veros nec
polliceri habet, ut etiam gloriosè pietatem jactitet. Theseos verò
usus hic potest esse secundum verbum: *Ego secundum Domini volun-
tatem, quam baptizo, immergere & aspergere notans, importat, sum bap-
tizatus; ergò verè baptizatus.* Atque ita verbum hoc Dei βαπτίζω mihi
est depurgatum; & Clypeus adversus tela Satane. Et hæc sententia, ut
simplex, ita certa & vera est, præbens conscientis firmam & neces-
sariam consolationem, quam eripi nobis non patiamur. Pertinet
insuper ad gloriam Dei, ne ipsius veritas, quæ nobis absque verbo
nec nota nec certa esse potest, ex hominis arbitrio æstimetur:
& ne fides in traditione vel quâlibet hominis opinione, qualis est
tota Adversariorum, sed virtute & veritate Dei hæreat, nitatur ac
inconcussa semper subsistat.

ΘΕΣΙΣ II.

Baptismus est Sacramentum Novi Testamenti,
ejusque doctrina Articulus fidei fundamentalis.

ΕΞΗΓΗΣΙΣ.

Sacramenti vox cum ἀγγελος, restamen ea notata ἔγχα-
ϕος, & apud Veteres ab aliis aliter, modò latiùs, modò angustius
accepta & descripta: non dimicandum aut rixandum de ea Augu-
stianæ Confessionis Apol. svadet, si modò ritus illi, qui habent ex-
pressum mandatum in Scripturâ ac additam claram promissionem
gratiæ, quæ est de applicatione & obsignatione gratiæ recon-
ciliationis per CHRISTUM factæ, quæ Nov. Test. propria, ex-
actè

15.

16.

17.

18.

19.

20.

I.

2. Et discernantur à rebus reliquis, quæ habent quidem mandatum Dei; sed non peculiare & certos ritus divinitus institutos, at ejusmodi promissionem, & quæ ibidem requiruntur alia. Hoc ipsum nos merito sequentes, de ipsa re potius solliciti, illos ritus & actiones sacras propriissime dici Sacramenta N. T. ex Scripturis docemur & credimus, quæ (1.) habent externum aliquod materiale & visibile Elementum seu signum, quod Rei coelestis sit ab ipso Deo definitum vehiculum. (2.) Certo externo ritu tractandum, exhibendum, usurpandum ab ipso Christo N. T. sponse *Hebr. 7.* & mediatore, *cap 8.* claris & perspicuis verbis ordinatum & mandatum. (3.) Non ad certum tempus, sed ad consummationem seculi retinendum. (4.) Ab ipsis viris Dei Christi discipulis Scripturâ Θεοπνεύτω commendatum & observatum. (5.) Habeat ex ore Christi promissionem de gratiæ collatione & oblatione. (6.) quæ sit ex divinâ ordinatione expressè annexa signo, & eo quasi vestita. (7.) Beneficium gratiæ reconciliationis applicet omnibus fidelibus, ex voluntate & beneplacito Domini utentibus. Hæc, quæ ab adversa parte etiam improbari non possunt, Baptismo si applicaverimus, Sacramentum eum esse, ejusque doctrinam Articulum fidei fundamentalem, manifestius evadet, quàm ut Argumenti saltem specie indigeat.

ΑΝΤΙΘΕΣΙΣ

9. I. Pontificiorum, Bellarminus l. 1. de Sacram. c. 7. B. Lutherum accusat, quod initio à nomine Sacramenti abhorruerit, cum in *lib. Capt. Babyl.* statuatur, in Scriptura nomen Sacramenti non haberi in eâ significatione, in quâ hinc usurperur: Et *Suarez. de Sacram. Tom. 1. in prefat.* Hæreticos, nomen Sacramenti in significatione Ecclesiasticâ acceptum, rejicere, conqveritur. Verum, non æquipollent istæ phrasæ: In hac significatione vox Sacramenti non invenitur in Scripturâ, ac: à nomine Sacramenti penitus abhorreo. Uti *Lutheri lib. contra cœlestes Prophetas* disertè probat, ubi *Carlstadium* hoc ipso nomine, quod Sacramenti appellationem, cum sit ἀρεσθη, rejectam voluerit, satis argutè ex professò refellit. Intueantur *Papistæ* & audiant *Aug. Conf. Artic. 13.* & si ibi non invenerint vocem Sacramenti, calumniarum à nobis falsò accusari dicant.

12. II. Calvinianorum, quos inter *Zwinglius* & *Bodenstein* Baptismum Sacramentum dici posse, præfractè negârunt, ob quod etiam

etiam à Calvino tacitè confutantur. Calvin. *l. 4. Instit. c. 14. §. 13.* ideoqve supersedere elencho propria Calvinii confutatio nos hic jubet, non tamen reticendum, quod Zinglius Conf. Carl. V. exhibenda Baptismum tantum publicum Testimonium, Judaismum purgans, dixerit, à quâ opinione non multum absunt etiam hodierni Calvinisequæ. Confer Bezam in *Colloq. Momp. p. 433. 435. 469. 479.* Rennecher. in *aurea salutis catenâ p. 24.* Calvin. *l. 4. Instit. c. 16. Sect. 15.*

III. *Photinianorum.* Socinus, ut in *pref. disputat. de Baptif. ita c. 17.* earundem impiè & nefariè scribit: non propterea nostra confociatio deferenda, quia nō in omnibus conveniamus: satis enim est, dum modò in iis concordēs simus, sine quibus Christiana pietas consistere non potest; in reliquis, ut inquit Apostolus, quilibet suo sensu abundet. Quæ inter refert etiam Baptismum. Ejusdem genii fuit Osterodus *Instit. c. 39. p. 346.* Sommerus *tractat. de Bapt.* ita habet: nos omisâ pietate non aliter, quàm olim Israëlitæ ex serpente antiquitus usurpato fecerunt idolum, salutem nostram quæ sivismus in ritu Baptismi, initio N. T. usurpati, eoque, quod Christi tempore legamus homines baptizatos esse, persuasimus nos nobis, temerè idem etiam à nobis requiri, cum tamen Baptismus non pertineat, &c. Videamus genium Photinianum Christiani mendacissimum, à Christo ejusque verbo alienissimum. Et observemus, quod absque quo nemo possit ingredi regnum cœlorum, sed necessum habet, ut per illud in gratiæ foedus à DEO recipiatur; CHRISTUM induat, ut renascamur & renovemur; illud maxime est Sacramentum & Articulus fidei fundamentalis, ut in *Thesi dictum.* Tale verò est Baptismus *Johan. 3. v. 5. Matth. 24. v. 19. Marc. 16, 16. Gal. 3, 27. priori Petri 3, 31. Tit. 3, 5.* Ergò non est arbitrarius ritus, in quo cuique suo licet abundare sensu: non idolum aut tale quid; sed illud quod Ecclesia ex verbo DEI & ore CHRISTI audit & credit, ut ipse Osterodus fatetur, communem omnium Christianorum esse sententiam, pro Christianis non haberi, qui non sunt baptizati.

IV. *Weigelianorum, Arminianorum, Episcopii Velsingii* 19.

B

gii

gii & aliorum, quibus quia eadem cum Photinianis mens est,
sit eadem responsio.

ΠΡΑΞΙΣ.

20. 2. *ad Tim.* 3. Testatur Spiritus S. *Omnes Scripturas divinitus datam, utilem esse ad redargutionem, correctionem, institutionem &c.* Certissimum ergo est, quod, quæ doctrina per se patefaciat dubitationum voragine & impietatis licentiam, voluntati divinæ non sit conformis. Deplorandum est quod vitio hominum, vera ubi etiam docetur puritas, impuritas vitæ detestanda, & dubitationes de gratiâ DEI sæpius subrepant: non ergo femina illarum spargamus, sed Zizaniam ejusmodi disseminantem Satanam, ex cujus schola est ἀντίθεσις, Spiritus S. gladio oppugnemus. Quid solatii & pietatis ex Thesi sperandum, fidelis, Sacramenti vocem audiens, statim percipit; eodemque modo, dum doctrinam hanc, Cardinalem Articulum fidei; quæ non inanis mentis persuasio, aut ritus arbitrarii opinatio, sed ut B. Lutherus *in pref. Bibl. in Epist. Rom.* describit. Glaube ist nicht der menschliche Wahn und Traum / den ekliche für Glauben halten / und wenn sie sehen / daß keine Besserung des Lebens noch gute Werke folgen / und doch vom Glauben viel hören und reden können / fallen sie in Irrthum und sprechen: Der Glaube sey nicht genug / man müsse Werke thun / solle man fromb und selig werden.
21. Das macht / wenn sie das Evangelium hören / so fallen sie daher / und machen ihnen aus eigenen Kräfften einen Gedancken im Herzen / der spricht: Ich gläube / das halten sie denn für einen Glauben. Aber wie es ein menschliches Gedicht und Gedancken ist / den des Herzen Grund nimmermehr erfähret: Also thut er auch nichts / und folget keine Besserung hernach. Aber Glaube ist ein göttliches Werk in uns / das uns wandelt und new gebieret aus Gott / *Joh. 1, 13.* Und tödet den alten Adam / machet uns ganz andere Menschen / von Herzen / Muth / Sinn und allen Kräfften / und bringt den heiligen Geist mit sich. Des ist ein lebendig / schäfflig / thätig / mächtig Ding umb den Glauben / daß unmöglichen ist / daß er nicht ohne vnterlaß solte guts wirken. Er fraget auch nicht ob gute Werk zu thun sind / sondern ehe man fraget / hat er sie gethan / und ist immer im thun, Wer
aber
22. 23. 24. 25. 26.

aber nicht solche Werck thut / der ist ein glaubloser Mensch / tappeet
 vnd sihet vmb sich nach dem Glauben vnd guten Wercken / vnd weiß
 weder was Glaube oder gute Wercke sind / *re. plura ibidem.* Ex qui-
 bus satis hominem ad ultum dijudicare, teqve ipsum probare
 poteris, an fidem, vel non habeas, & hunc articulum verè cre-
 das.

ΘΕΣΙΣ ΙΙΙ.

Sacramentum Baptismi ipsum Deum trinu-
 num habet authorem.

ΕΞΗΓΗΣΙΣ.

Humanis inventis Deum coli non posse, expressa est assertio
 CHRISTI, *Matth. 15. v. 8.* Cum ergò Sacramenta, quæ Dei
 mysteria Apostolus vocat, *1. Cor. 4, 1.* pars cultûs divini, neces-
 sum est, ut etiam ab ipso DEO suam trahant originem, id quod
 de Baptismo ex verbo DEI commonstramus. Ipse etenim DEUS
 in V. T. ubi hoc Sacramentum promittit, sese futurum ejus au-
 thorem indubiis verbis asseverat, quod liquet *Pf. 29, 10. Esa. 44.*
v. 3. Esa. 52, 15. Ezech. 36, 25. Joel. 3, 18. Mich. 7, 9. Quibus cum
 clariora & firmiora novi Testamenti Testimonia eò melius
 conveniunt, ut sunt, quæ 1. Baptistæ Novi T. primi Baptismum
 à DEO fuisse, ostendunt, *Matth. 21, 25. Marc. 11, 29.* 2. Apostolos
 eorûmqve successores DEI mandato baptizare, *Matth. 28, 19.*
Marc. 16, 15. 3. Ipsum Deum sub pœna æternæ damnationis Ba-
 ptismum suscipiendum seriò mandâsse, *Job. 3, 5.* 4. Eum voca-
 ri Consilium DEI *Luc. 7, 30.* 5. Vim ac efficaciam tantam, quæ
 non nisi divinæ virtutis, ei tribui: quòd sit sigillum gratiæ,
Rom. 4, 11. Testimonium gratiæ, *1. Job. 5, 6.* Lavacrum regenera-
 tionis *Eph. 5, 26. Tit. 3.* 6. Remissionis peccatorum, & quæ sunt
 alia. Nominantes autem DEUM in Thesi Trinunum, Christum
 secundùm humanam naturam non excludimus, quia assumpta
 est in *ὑπόστασιν* ἔ λόγῳ nec aliam ab ea personam constituit,
 & propter istam assumptionem in *τῷ λόγῳ* personam, habet
 personaliter communicatam potentiam & potestaté institu-
 endi Sacramenta. Ideòqve Ambrosius *l. 4. de Sacram. c. 4.* di-
 cit

- cit: Autor Sacramentorum quis est nisi Dominus Jesus? de
cœlo ista Sacramenta venerunt; Consilium enim omne de
8. cœlo est. Et clarius Augustinus *Ep. 108*. Tenere te volo, hujus
disputationis caput Dominum nostrum Jesum Christum,
sicut ipse in Evangelio loquitur, levi jugo suo nos subdidisse
& sarcinæ levi: unde Sacramentis numero paucissimis obser-
vatione facillimis, significatione præstantissimis, societatem
novi populi colligavit, sicuti est Baptismus, Trinitatis nomine
consecratus; communicatio corporis & sanguinis ipsius, & si
quid aliud in Scripturis Canonicis commendatur. Ita etiam
cum Augustino Patres alii, aqvâ ex latere Christi promanan-
te, Sacramentum Baptismi notatum arbitrantur.

ΑΝΤΙΘΕΣΙΣ

9. **I**lla à nobis hîc saltem exhibetur, quæ est horum temporum,
fidelique animæ hodiè offendiculo esse potest, ubi primas te-
net *Pontificiorum*, qui *Conc. Trid. Sess. 21. c. 2.* dicunt: Ecclesiam
10. habere potestatem mutandi & instituendi Sacramenta. Con-
sentiunt autem omnes Pontificii, ipsis Ecclesiam esse Pontifi-
cem Romanum, de quo Bellarmin. *l. 3. de V. D. c. 10. in Respons.*
ad 15. Arg. scribit, verbum Pontificis ex Cathedrâ pronun-
ciantis, non esse omninò verbum hominis, id est, verbum erro-
ri obnoxium, sed aliquo modo Dei verbum, & *l. 4. de Pontif.*
11. *Rom. c. 2.* Catholici omnes in his duobus conveniunt. (1.) Pon-
tificem *ex cathedra pronunciantem* cum generali concilio non
posse errare in condendis fidei decretis, vel generalibus præ-
12. ceptis morum. (2.) Pontificem solùm vel cum suo particulari
concilio aliquid in re dubia statuentem, sive errare posse,
sive non, esse tamen ab omnibus fidelibus audiendum. Ex
quibus certius est, quàm quod scribit Jesuita, Pontificiorum
sententiâ Papæ ascribi potestatem mutandi & instituendi
13. Sacramenta. Sed quomodo hæc conveniunt cum illis, quæ
habet Bellarminus *l. 2. de Sacramentis c. 31. §. 1.* Sacramenta
14. solus DEUS instituere potest. Quod idem scribit Thomas *part. 3.*
quest. 64. Art. 2. Virtus Sacramenti est à solo DEO: Ergò solus
DEUS est Sacramentorum institutor. *Et postea: Apostoli & co-*
rum

rum successores sunt Vicarii Dei, quantum ad regimen Eccle-
 siae per fidem & fidei Sacramenta; undè sicut non licet eis tra-
 dere aliam fidem, ita nequè instituere alia Sacramenta. *Deinde*
 tribuit Bellarminus *lib. 1. de Sacram. c. 23.* Christo ut homini
 quandam potestatem excellentiæ derivatam à Divinitate,
 quæ sit velut media inter divinam & humanam, juxta quam
 ad Sacramentorum institutionem concurrat. Verùm cum
 Scholasticis hæc scribuntur, non autem probantur: ideòque
 etiam nullo nixa fundamento, vento quovis leviore tangente,
 ruunt. Nec opus est, ut adducamus *Matth. 28.* Data est mihi
πᾶσα ἐξουσία. 2. Calvinianorum, qui Christum, quæ hominem,
 propriis suis hypothesibus excludunt ab institutione Bapti-
 smi, docentes (1.) non habere eum sibi communicatam virtu-
 tem verè divinam. (2.) Ea, quæ Christo in tempore data dicun-
 tur, de finitis duntaxat exponunt, quod sat clarè innuunt Beza
Colloq. Momp. p. 265. item 144. Danæus in examine Chemnitii
p. 361. Zanch. *in Conf. p. 117.* Sonius *disp. 7. Thes. 55.* Concedunt
 quidem infinita ac verè divina dona Christo esse in tempore
 data, verùm non secundùm humanam naturam. Trelocatius *in*
Loc. p. 58. Danæus *contra Chemn. p. 294.* Pareus *in Iren. c. 28. Art.*
12. p. 165. atque in his ipsis varias in sectas scinduntur, ut qui
 nullibi tenent solidum fundamentum. Quid verò hoc aliud
 est, quàm Christum secundùm humanam naturam à Sacramen-
 torum institutione seqvestrare? Atque id ipsum etiam est, quod
 tam pauci, & quidem verbis valdè lubricis, sint in hoc argu-
 mento. Et produnt se satis (3.) Dum transeuntes in Photinia-
 norum castra, dictum Christi *Johan. 5.* quo authoritatem hu-
 jus Sacramenti suffultam diximus, in sensum alienum perver-
 tunt.

3. *Photinianorum*, qui Baptismum à Christo neque insti-
 tutum neque mandatum; Sed ab Apostolis liberè assumtum,
 furiosè nugantur. Socinus *disp. de Bapt. c. 6. p. 136. & seqq. &*
capite 2. p. 15. c. 16. &c. ubi frivolis quibusdam rationibus & val-
 dè incommodis exemplis stabilire placita hæc sua allaborat.
 At quis credat rem liberam tam strenuè urgeri à viris Dei, qui

- Spiritu S. ducti, ne minimum quicquam, præter divinum mandatum imponi, seriò laborantes *Act. 15. Rom. 15, 18. 2. Pet. 1, 21.*
23. sibi ipsi in tota sua praxi contradixisse? Ac, accessuros ad Christianismum primò omnium baptizari iussisse *Act. 2, 37. & 38.* ubi Petrus legantis se mandatum ad quemq; spectans, satis fideliter urget. Et quid clariùs universali illo Christi mandato, ad omnes gentes & omnia tempora se extendente, *Matth. 28. v. 19. Marc. 16, 15.* Produnt tamen & in hoc convitiando & falsando suam impudentiam, in primis Franciscus Davidis & Blandrata, qui verba Matthæi supposititia esse, ac in contextû per Trinitarios seu Athanasianos pervenisse tradunt; quod ipsum aliis in eadem scholâ edoctis, Osterodo, Adamo Goslavo, Socino, &c. commentum non placet, qui de Baptismo, non aquæ, sed doctrinæ interpretantur. Respondemus his distincta distinctim esse accipienda & non commiscenda; Tria namque
24. habentur verba *Matth. 28, 19.* Primum generale, *μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη*, facite discipulos omnes gentes; & hæc est summa officii Apostolici, ut Ecclesiam Christo colligant seu discipulos faciant, quod verbum Græcum *Act. 14, 21.* ut explicatur *Johan. 4, 1.* denotat, quod ipsi etiam interdum urgent. Post progreditur Christus ad species, ostendens, quomodo Ecclesiam colligere & discipulos sibi facere debeant, nempe baptizantes & deinde *διδασκοντες*; quæ adeò clara, ut probatione non indigeant. Monstrandus igitur est locus ubi *βαπτίζεν* ita absolute positum doctrinam notet; Aliàs si hîc Christus de alio quàm aquæ baptismo loquitur, consequens erit, Apostolos adhibentes aquam, aut non observâsse mandatum Christi, aut
25. falsum adhibuisse baptismum. Ast utrumque est absurdum, Ergò. Verba Marci ut annihilent, allegant Hieronymû scribentem, verba illa esse supposititia; quibus ut respondeamus, primò ipsi probent verba ista esse Hieronymi & non supposititia. Citant namque locum hunc è Marco Patres antiquissimi, Athanasius, Augustinus & Irenæus, qui testium ternio *ἡρισομιζεν* poterit unitatem. Nec quicquam obtinet Smalcus locum *Luce 7, 30.* ubi Baptismus vocatur consilium Dei, vanis
- 26.
- 27.
- 28.
- 29.
- 30.
- ex-

explicationibus eludere laborans. Sed respondemus ex ipso
textu Lucae: *Quod Judaei dicuntur sprevisse, illud dicitur consilium
Dei. Jam verò baptizari à Johanne dicuntur sprevisse. Ergò baptiza-
ri à Johanne fuit consilium D E I.*

ΠΡΑΞΙΣ

THeseos hæc: *Quod Sacramentum ab ipso solo Deum est
institutum, & à Christo ministerio demandatum, illud non
potest nisi esse divinum mirabile & salutare omni, secundum
voluntatem Domini accipienti. Siquidem non est verbū ipsius
inane ad nos, sed vita nostra, quam in ea prolongabit, Deut. 32,
47. Non excidet quicquam ex omni verbo bono, quod locutus
est Dominus, Josue 21, 45. c. 23. 14. jam Sacramenta sunt verba
Domini visibilia, inter quæ est Baptismus; Ergò & mihi, se-
cundum voluntatem Domini Baptismum suscipienti, non
poterit nisi esse salutaris, ac proinde magnificandus in omni
vitâ meâ. Et Sapient. 3, 9. Confitentes illi intelligent veritatem
& fideles in dilectione acquiescent illi, quia agnoscunt quod
Dominus fecit memoriam mirabilium suorum, Dominus mi-
serator & misericors, qui memor Testamenti sui in seculum,
virtutem operum suorum annunciat populo suo, ut det illis
hæreditatem gentium, Psal. III, 5. Ergò & mihi, cujus me con-
firmat ab ipso institutus Baptismus. Quod si verò Baptismus
est in potestate hominum, ut possit pro lubitu mutari, ut anti-
thesis dicit: Omnis autem homo mendax, quæ sciam num Ba-
ptismum à D E O institutum, an verò ab hominibus immuta-
tum acceperim? quæ sciam an medium hoc Deo placens? si ri-
tus arbitrarius à Deo non institutus; aliis humanis actionibus
parum præferendus? si non à Christo toto hoc est, etiam se-
cundum humanam naturam Baptismus est institutus & con-
firmatus; quæ sciam Christum Immanuelem in eo agere salu-
tem meam, & quæ sunt hujus generis alia.*

31.

32.

33.

34.

ΘΕΣΙΣ IV.

Baptismus institutus est Anno Christi 30.

ΕΞΗΓΗΣΙΣ

EVidentia Theseos hujus maxima habetur, *Luc. 3, 1. ubi Ev-
an-*

1.

angelista in consignandâ temporis circumstantiâ tam est accuratus, ut vix possit esse accuratior. *Anno, inquit, 15. Tiberii Caesaris Pontio Pilato Praside Judæe, Tetrarchâ verò Galilæe Herode, Philippo Fratre ejus Tetrarchâ Ituræe & Trachonitidis Regionis & Lisaniâ Abilenes Tetrarcha. Sub Pontificibus Anna & Caipha, factum est verbum Domini super Johannem, Zachariæ filium in deserto, & venit in omnem regionem finitimâ Jordani predicans Baptismum penitentiae, v. 7. Dicebat autem ad turbas, quæ exhibant, ut baptizarentur ab ipso &c.* Exordiû hîc Sacramenti Baptismi antiquissimum, certissimum, describitur ejusmodi certiorantibus circumstantiis, ut vix quicquam. Exprimitur potestas civilis major & minor, & his cum Ecclesiastica, quæ omnia prolixè & satis exactè explicata & computata videre licet in Harmoniâ Evangelist. Chemnitii; ubi vocatio Baptistæ incidit in annum Christi 30. ac ut nonnullis placet, in primum Septembris, qui tum excipiebat Festum Tubarum, quo promulgatio fiebat anni jubilæi & concursus ex omnibus locis ad templum Hierosolymitanum maximus, per quem sonitus Tubæ hujus ad trajectum Jordanis sparsus est eo latius, citius & felicius. Addidit Evangelista & applicavit testimonium Prophetæ *Esaie 40, 3.* ut Scripturas hoc in negotio eo diligentius attendamus, in primis verò illud etiam *Matth. 11, 13.* ubi Christus dicit: Lex & Prophetæ ad Johannem, &c. ut discamus non temerè hoc Johanni accedisse, sed divino decreto ita ordinatum & prædictum, ut Baptista hoc Sacramentum novum exordiretur & præcursor Domini existeret, Novum Testamentum inchoaret, & finem veteris demonstraret. Hæc respicientes Patres dixerunt Johannem: *Macarius* Complementum Prophetarum: *Tertullianus*; Limitem, in quo cessavit Judaismus & cœpit Christianismus, ut lex, quæ in Veteri Testamento mortalis, facta sit jam mortua, & cum honore sepeliretur.

ΑΝΤΙΘΕΣΙΣ.

4. Scholastici diversum sentientes in diversas abeunt partes. *Alex. Alensis 4. Sentent. Dist. 3.* ita habet: Potentialiter seu ma-
te-

terialiter institutus est Baptismus, cum Christus à Johanne baptizatus, quia hic materiam dedicavit, *Job. 3.* est institutus quoad finem, quia ibi ostenditur finis Baptismi, scilicet ingressus in regnum cœlorum, *Matthæi ultimo*: est institutus formaliter, quia ibi formam Christus expressit, quantum ad principalem partem: in cruce institutus, quantum ad significationem, dum exivit ex Christi latere sanguis & aqua; institutus est officialiter, dum discipulos misit binos & binos ad baptizandum. Ita etiam Richardus *4. Sent. Dist. 3. q. 5. Art. 1.* Thomas *part. 3. q. 66. Art. 2. ex Lombard. l. 4. sent. Dist. 3. lit. G.* simpliciter statuit eo ipso die, quo Christus à Johanne in Jordane baptizatus. Et *part. 3. sum. q. 69. art. 7. ad 2.* statuit: Baptismum ante mortem Christi non habuisse effectum perfectum in re, sed in spe: vel ut loquitur ejus commendator Svarez, *fol. 201.* non aperuisse januam regni, ante Christi mortem; quod placet etiam Bellarmino *lib. 1. de Bapt. c. 5.* Dominicus à Soto & Valentia, incertum putant, quo tempore institutus sit ante passionem, eoque nomine castigant asserentes, sine dubitatione hoc esse tenendum, quod institutus sit Baptismus, cum Christus à Johanne baptizatus. Hæ opiniones fluxæ & lubricæ, quia nullum ostendunt fundamentum, & rationem absque ratione, uno stante ariete Lucæ, ruant.

ΠΡΑΞΙΣ.

Res sine omni dubio divinissima, cujus initium Spiritus S. tot notis insignitum voluit, ne vel in hoc V. T. Sacramenta haberent, ob quod Novi T. præponerentur. Certitudinem ergo temporis tam exquisitè descriptam DEUM voluisse arbitrer, ut de Sacramenti hujus majestate ac virtute eò sim certior. Magnæ istius *παλιγγενεσίας Matth. 22.* articulos temporum latere nos voluit, ut securitatem carni excuteret: hujus verò voluit, ut fiduciam de gratiâ & vitâ æternâ pœnitenti incuteret. Quare; quæ Religio hanc certitudinem adimit, quæ conscientiam dubiam sistere & non potiùs de ipsâ Sacramenti veritate ambigere poterit?

C

ΘÉ.

Baptismi administratio ordinariè debet fieri
per Ecclesiæ ministrum.

ΕΞΗΓΗΣΙΣ.

1. **E**st equidem Deus & institutor & dispensator Baptismi : sed illud immediatè, hoc mediatè, per ministros Ecclesiæ, quibus cum Apostolis demandavit baptizare & docere, *Matth. 28, 19. Marc. 16, 15.* Quare illorum est ordinaria Baptismi administratio, quorum est ordinaria & publica in Ecclesiâ verbi divini annunciatio ; sed hæc est vocatorum ministrorum ; ergo &
2. illa : Hinc vocantur mysteriorum Dei dispensatores, *1. Cor. 4, 1.* Dei œconomi, *Tit. 1, 7.* operam suam Deo accommodantes, *1. Cor. 3, 9. 2. Cor. 6, 1.* Quod videre est in Protobaptista Johanne, qui hinc nomen sortitus, *Matth. 3, 1. c. 11, 12.* & reliquorum Apostolorum, *Joh. 4, 2. Act. 2, 41. Pauli Act. 16, 15. & 33. 1. Cor. 1, 14. & 16. Philippi Act. 8, 38. Ananiæ, Act. 9, 19. & c.* ordinariam ergo Sacramenti hujus administrationem fieri arbitramur ab omni Ecclesiæ vocato ministro, verba institutionis Baptismi legitime adhibente cum aspersione aquæ vel immersione in eam. Pendet autem hoc Sacramentum non ab homine, ejusve qualitatibus, sed ex DEI illud instituentis *veritate & potentia*, ob quæ, vitia ministri non possunt transferri ad ipsa Sacramenta, quorum ipsi non Domini sed dispensatores, uti docet Christus, *Matth. 23, 3.* Scribas & Phariseos in cathedra Moïsis sedentes audire, atque ita etiam circumcisione eorum uti jubens, & *Ezech. 16, 20. & 21. c. 23, 37.* expressè Deus testatur, Judæos, quamvis Idola venerabantur, sibi tamen genuisse filios, non per generationem, sed per regenerationem, cujus medium erat circumcisio in substantialibus partibus adhuc apud ipsos pura, quamvis poterant admixti esse ritus peregrini. Hinc Augustinus : Sacramenta vera sunt propter Deum, cujus sunt, nec refert utrum per canale[m] lapideum aut argenteum aqua transeat, ad areolas irrigandas. Item : Si Evangelicis verbis in nomine Patris, Filii & Spiritûs S. Marcion Baptismum conse-
- 3.
- 4.

cra-

crabat, integrum erat Sacramentum, quamvis ejus fides, verbis aliud opinantis, quam catholica veritas docet, non esset integra, sed fabulosis falsitatibus inquinata. Ideoque approbavit in hæretico Baptismum, non hæreticum, sed Christi. Ita etiam Nazianzenus: ut eadem sigilli figura est, licet aureo vel ferreo sculpta sit annulo; sic idem ministerium, sive boni, sive mali teneant. Et Ambros. non merita personarum consideres, sed officia sacerdotum, consuevit enim Deus per indignos operari.

ΑΝΤΙΘΕΣΙΣ

Pontificiorum I. non omnes ordinatos idoneos censent Baptismi dispensatores. Hic distinguunt inter ministros ex officio, quales sint Episcopi & Sacerdotes: Inter ministros ex commissione, quales sint Diaconi: inter ministros extraordinarios in casu necessitatis. Gregor: de Valentia *Tom. 4. in Thom. fol. 790.* Vide Bellarm. *lib. 1. de Bapt. c. 7.* Svaretz *Tom. 4. in Thomam, q. 67. f. 234.* de Episcopo concludit, ipsum jure suo ex vi ordinationis suæ aptissimum esse hujus Sacramenti ministrum. De Sacerdote affirmat, ipsum ex vi suæ consecrationis esse posse ordinarium ministrum hujus Sacramenti. Ubi tamen Valentianus annotat ex Thoma, Episcopos solitos fuisse id munus relinquere sacerdotibus. De Diaconis, ipsos hujus Sacramenti ministros, negant ex Clemente *Rom. l. 3. constit. c. 11. & l. 8. c. 12.* Limitant autem hoc Cajetanus, Valentia, & Svarcz, Diaconum per se jure divino ordinario, non posse administrare hoc Sacramentum ex vi suæ ordinationis; esse verò capacem ex concessione, vel delegatione Episcopi aut Sacerdotis. Hæc omnia nituntur falso principio, quod exprimi videtur *Can. 7. Sess. 23. c. 4. Concil. Trid.* Si quis dixerit Episcopos non esse Presbyteris superiores, anathema esto. Quibus reclamant tot juris Canonici Canones *C. Cleros dist. 21.* ex Isidoro, *l. 7. Etym. c. 12.* apud veteres iidem Episcopi & Presbyteri fuerunt, quia illud nomen dignitatis est, & non ætatis *C. Nullus dist. 60.* ex Urbano Papa sacros ordines dicimus Diaconatum & Presbyteratum. Hos siquidem solos primitiva legitur

- habuisse Ecclesia: Tot scholastici, Lombard. *l. 4 Sent. dist. 24. l. 1.*
 tot glossæ Bibliorum publicæ, *Vid. Gloss. Ordinar. in cap. 20. Act.*
Super verba posuit Episcopus: in C. 1. ad Tit. & interlinearems ibidem:
 tot Cardinales Hugo in *C. 1. Ep. ad Tit.* Nicolaus Oufanus *l. 2. de*
Concord. Cath. C. 13. Aliique Scriptores Pontificii, Scripturas, ut
10. jam taceamus, quàm plurimi. 2. Requientes ad Sacramen-
 ti integritatem à ministro intentionem faciendi, quod facit
 Ecclesia. Concil. Trident. *Sess. 7. c. 11.* Si quis dixerit in mini-
 stris, dum Sacramenta conficiunt & conferunt, non requiri in-
 tentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia, anathema sit.
 Vasquez *in part. 3. Thomæ disp. 138. Can. Conc. Trid.* ita explicat,
 quod necessaria sit hæc intentio, nec expressa circa effectum
11. Sacramenti, sed implicita saltem. Et Valentia *Tom. 3. in Thom.*
disp. 3. q. 5. sic differit: necessarium esse dicimus, ut hæc inten-
 tio pertineat & referatur aliquâ ratione non modò ad ipsam
 operationem sacramentalem externam, sed etiam effectum &
 finem illius. Hanc conditionem prorsus esse necessariam rectè
 inter cæteros animadvertit Scotus *in 4. dist. 1. q. 5. Art. 8.* Qui er-
 gò mendacii accusare potest Bellarm. *l. 1. de Sacr. c. 27.* B. Chemn.
 scribentem, Concilium Trid. definivisse intentionem finis esse
 necessariam in eo, qui Sacramentum administrat, cum Conci-
 lium non nominet Sacramenti finem; sed simpliciter sic de-
 cernat *Sess. 7. Can. 11.* Imò cum ipse expressè ibidem §. quan-
 tum ad secundum scribat: Sententia Catholicorum est: re-
 quiri ad perfectionem Sacramenti intentionem faciendi,
 quod facit Ecclesia. Sed quomodo hæc conveniunt cum illo
 Bellarmini effato, ubi conferre Sacramenta gratiam ex opere
 operato, quæ est ex vi actionis Sacramentalis à Deo institutæ,
 non ex merito agentis vel suscipientis. Deindè Johannis de
12. Rada Arragonii ita habentis: Si Sacramenta suam ha-
 bent efficaciam à Deo tanquam à causâ efficiente & à passione
 Christi, tanquam causa meritoria, & non à ministro aut ab a-
 lio, ergò quâcunq; iniquitate minister sit infectus, Sacramen-
 tum suâ habebit efficaciam. Item: Videtur omninò injustum,
 alterum pro alterius iniquitate puniri, quando alter ille nullo
13. mo-

modo communicat iniquitati alterius, ita ut possit sibi imputari. Ergò si gratia divina in Baptismo, malitiâ ministri, ab ejus executione impediretur; propter culpam alienam, nullo modo sibi imputandam, puniretur baptizandus. An verò Ebrius (cujus Baptism. & ipsi pontificii vocant Christi Baptismum. *Can. dedit. Caus. 1. q. 1. ex August. quos Judas, baptizavit & Christus: sic ergò quos baptizat ebrius, homicida, adulter, Christus baptizat*) habet intentionem faciendi, quod facit Ecclesia? Rectè Bonaventura *4. Sentent. dist. 3. q. 7.* Baptismus non est singularis personæ, ideò fides personæ, nihil prodest vel obest, sed est Sacramentum Ecclesiæ Christi, unde quicquid sit de fide cordis, personæ baptizantis, judicandum est secundum expressionem oris. Lombard. *l. 4. dist. 5.* ex Augustino inquit: *Ego dico, ait Augustinus, & nos dicimus omnes, quia justos esse oportet tanti judicis ministros: sint ministri justis, si volunt: si autem non voluerint esse justis, qui sedent in Cathedra Moysis; securum me facit magister meus Christus, de quo Spiritus Sanctus dicit: Hic est qui baptizat. Item: Si quis ergò baptizavit ebrius, homicida, adulter, si Christi erat Baptismus, Christus baptizavit: non timeo adulterum, non ebriosum, non homicidam, qui columbam attendo, per quam mihi dicitur: Hic est qui baptizat.* Contrariis quomodo inter se pugnent sententiis Pontificii, amplius jam non dicemus. 3. Vocat nos Becanus Jesuita hæreticos asserentes, validum Sacramentum etsi minister jocò vel irrisoriè omninò faciat: forsan ex Bellarmino, Lutheri verba ex *lib. de Capt. Babyl. Tom. 2. Jen. Lat. f. 272.* pervertente & ex sanâ nostrâ sententiâ regerente: Verum Sacramentum esse, modò à P. Sittaco verba illa exterius proferantur. Ast recognoscant quæsumus Bellarminus & Becanus, quid ipsi de mimico & joculari Athanasii pueri adhuc in maris litore Episcopum se fingentis, & pueros ludentes Episcopi more in nomine Trinitatis baptizantis, senserint & scripserint. Examinent quàm hujus rei ab ipsarum parte faciens Costerus similitudinem in assertionis hujus evidentiam & firmitatem afferat: sicut, inquit, pueri quidam nostrâ memoriâ lusu imitati

14.

15.

16.

17.

18. tati laniones, dum porcos mactant, alii alios reverâ jugularunt & occiderunt: ita qvi lusu baptizarunt, reverâ baptizarunt. Attendant insuper Baronium, qvi jubet diffidere Sozomeno Hæretico Novatiano, *l. 2. c. 16.* Historiam hanc annotanti & Alexandro Alexandria Episcopo ratum istum Baptismum habuisse confirmâti. Nostra sententia claret ex Thesi, & loquimur de ordinario ministro, extra usum divinitus institutū non administrâte, seriò exosculantes exhortationē illam B. Lutheri *prefatione in libell. de Bapt.* Ich bitte aber aus Christlicher Treue/ alle die jenigen/ so da Kinder tauffen/ Kinder heben/ vnd darbey stehen/wolten zu Herzen nehmen das treffliche Werck / vnd den grossen Ernst/ der hterinnen ist. Et quæ habet *Tom. 2. Jenen. Germ. fol. 227. 228. Tom. 4. f. 417. Tom. 7. f. 464.*
19. II. *Calvinianorum.* Hi i. Ecclesiæ ministrum non integrum Sacramentum, sed externum saltem Elementum conferre, ipsum verò Spiritum S. immediatè res signatas dispensare ajunt, quos inter est Beza in *2. Respons. Coll. p. 116.* Grynæus *disput. Heidel. de Eucharist. Thes. 17.* Piscator, Zepperus, & qui sunt alii, quibus tamen rectè contradicit Bucanus. Siquidem Scriptura sacra claris & expressis verbis ipsum hoc Sacramentum, quod non tantum est elementum externum ministris Ecclesiæ assignat, jubens baptizare, *Matth. 28, 19.* quod est interprete Paulo *Tit. 3, 5. Lavacro regenerationis & renovationis, in verbo, Ephes. 5, 26. aquâ & Spiritu, Johan. 3, 5. à peccatis abluere.* Qvî possent dici dispensatores mysteriorum Dei, *1. Cor. 4, 1. Dei σῶμα, 1. Cor. 3, 9. σῶμα ἐργαζόμενος, 1. Cor. 6, 1.* Qvî Johannes diceretur Baptista? Non dicimus nos hominem ex se esse causam regenerationis, sed Spiritum S. qui illam effecturus est per ministrum in Baptismo. Quare dispensat quidem ipse Deus hoc Sacramentum, ac idem etiam minister; ille principaliter, hic instrumentaliter & ministerialiter; proinde minister contra Dei institutionem, ab ipso Deo in hoc Sacramento non est divellendus. 2. Baptismus si debeat esse legitimus & verus, necessariò requirunt legitimam conferentis ad Ecclesiæ ministerium vocationem: Calvin. *lib. 4. Institut. C. 20.* Beza in *q. 9. & Respons. Coll.*
- 20.
- 21.

Coll. Momp. q. 137. Bucanus verò l. 47. p. 624. ratum habet Baptismū Pontificiorum, etiamsi ministri ipsorum pro legitime vocatis (ut dicit) non sint habendi. Hæc quomodo inter se conveniunt? Quinam fures & latrones, de quibus Christus Job. 10, 8? Et num Christus ministerium eorum quia effectum reprobavit, vel ad illud populum ablegavit Matth. 23, 3?

III. Conveniunt in quibusdam cum Pontificiis *Calviniani*. I. 22.
Christum ipsum baptizasse manibus suis statuunt Calvinus, Bellarminus; Martinus Duncanus *l. 1. contra Anabaptistas c. 4.* asserit Apostolos ab ipso Christo baptizatos, allegans auctoritatem Maldonati *super Johan. p. 502. 507.* Svarez *Tom. 4. f. 200.* allegat Nicephorum *l. 2. Hist. c. 3.* ex Evodio referentem Christum baptizasse manibus suis Petrum, hunc filios Zebedæi & hos cum Petro reliquos Apostolos, à quibus cæteri discipuli, & credibile esse Mariam à Christo baptizatam sentit cum Euthymio; Bellarminus *ex Matth. 3, 4.* conjicit Johannem baptizatum à Christo *l. 1. de Bapt. c. 23.* *Historia Lombardica c. 93.* de Christina refert, quod ab ipso Christo in mari baptizata sit, his adhibitis verbis: *Ego baptizo te in D E O Patre meo, & me JESU Christo Filio ejus, & in Sp. S.* Sed quid ad hæc omnia Scriptura, *Johan. 4, 2.* cui frustra opponitur, *Job. 3, 26.* Discipulis enim Christi baptizantibus, Christum baptizasse dicit Augustinus, *Tractat. 5. 13. 15. in Job. 2.* Nullo modo diversæ à se religionis Baptismum quenquam suorum petere posse sentiunt Pontificii & Calviniani. De Pontificiis memorat B. Lutherus *Tom. 4. Jenens. Germ. f. 408.* quod ipsi in Latina lingua rebaptizarint à nostris in Germanica baptizatos, cujus rei mentionem facit etiam Mylius *in Aug. Conf. Art. 13. Memb. 20.* De quo ipse Loricus *Inst. p. 57.* conqueritur, dicens: Maximam hinc videmus invidentiam, imò hæresin fœdissimam Theologorum nostrorum, quorum nomina honoris causa hinc conticere volo, quod pueros Germanicè baptizatos rebaptizârunt. Ex Calvin. cum Polano Bucanus eandem sex ventosis rationibus inflat tibiam, quas jam ante refutarunt Melanchthon, Bucerus & alii. P. Martyr *Epist. ad Ecclesias Anglic. p. 155.* scribit, à Lutheranis accipi non

23.
24.
25.
26.
27.

non posse Baptismum propter diversam fidem, pietatem Christianam; qui tamen alibi dissimilis sui esse videtur. Peti autem posse Baptismi simplicem administrationem secundum Christi institutum à Pontificio vel Calviniano, & qui essentialia pura retinent, ex Thesi constat.

ΠΡΑΞΙΣ.

28. **Q**uodlibet dogma æquâ Scripturæ lance trutinandum est, & sanum, conscientiæ applicandum, carnis ut securitas excutatur & fidei imbecillitas solatio auferatur. Fideliter præstat hæc Thesis nostra. Quod si namque certus sum, quemlibet vocatum Ecclesiæ ministrum Christi institutionem observantem verè dispensare Baptismum, & nihil planè personæ vitia Sacramento præjudicare, virtutemve ejus inhibere; De Baptismo etiam meo certus esse possum, quod verè Sacramentum illud à Christo institutum acceperim, atque exinde titubantem conscientiam erigere & tranquillare queam: Securam verò ad pœnitentiam & pietatem exhortari. Quid autem præstat Antithesis Pontificia? Audiamus hoc & discamus à Rada homine Pontificio: Si Baptismus (inquit,) non posset conferre nisi à bono administratus, non esset in magnum victoris remedium, sed quasi communiter in detrimentum. Cùm enim quasi nullus possit esse certus de bonitate propriâ: multo minùs de alteriùs. Ergò si ex bonitate ministri dependet Baptismus, nunquam posset quis esse certus, imò semper dubius de suo Baptismo: quod est maximum inconveniens. Optimè hoc etiam vidit Alex: Alensis: *quarto Sent. dist. 6. q. 13. Art. 4.* ubi quæstioni: Si in Baptismo parvuli, minister subtraheret intentionem, atque ita parvulus ante usum rationis decederet, an malitia ministri noceret eius salutem? Respondet: In illo casu piè supponi posse, quod summus Sacerdos suppleat, quod deficit Sacramento. Cui addit Biel; hoc est benè notandum, quia est valdè consolatorium; ubi certè homo in conscientia persentit cum reliquis, nihil præter dubitationes hoc Pontificium dogma gignere. Ejusdem farinae etiam est Calvinianorum. Qui namque conscientiam tranquillare possunt, me Sacramento
- to

to illo Christo initiatum, si non integrum Sacramentum à ministro mihi impertitum; idque inprimis constitutus in horrore conscientiae propter admitta peccata &c? Qvî scire potero an qvi baptizavit me, habuerit legitimam vocationem? Qvî certi de gratiâ possunt exinde esse illi, qvi in papatu baptizati, post verò luce veritatis illuminati ad nos secessere, quorum plurimi? imò ipsorum Hæresiarchas verum habuisse Baptismum, unde probarint? Cuiq; Christianorum foedus hoc cum DEO Baptismus quotidianum pietatis sit incendivum, ut si fortè aberrârit à verbi viâ, ad Deum redeat. Ut autem exstimulabit te illud, de cuius certitudine anxie labores?

33.

ΘΕΣΙΣ VI.

Sacramenti Baptismi divinitus ordinatus fuit Johannes Baptista minister.

ΕΞΗΓΗΣΙΣ.

Monet eqvidem B. Chemn. *Exam. Concil. Trid. part. 2. pag. 61.* cum hodiè nemo baptizetur Baptismo aliò, quàm qvi sit Christi, superfluam videri controversiam de Baptismo Johannis, ac esse iis quæstionibus annumerandam, in quibus opinionum diversitas, vel etiam levis hallucinatio non inferat jacturam fidei & salutis. Effet certè consultius istam sepelire; verùm, quia hoc adversarii non patiuntur, sed indies eam revocant, stringenda sunt arma, ne videantur sibi ac si erroribus ipsorù occurri non posset, cum unicum saltem argumentum satisfacere ipsis valeat, quod est tale: *Qvi Baptismus cum ipso Christi, habuit easdem causas effic. mater. form. final. eandemq; efficaciam; ille idem fuit cum Baptismo Christi. Johannis fuit talis. Ergò. Minorem probamus per singula membra causarum. Ab ipso Deo fuit Johannes Baptism. Job. 1, 33. qvi misit me, ut baptizarem aquâ, ille mihi dixit &c. in quæ verba Augustin. Tract. 5. in Johan. Qvis ergò misit Johannem? si dicamus Pater, verum dicimus: si dicamus Filius; verum dicimus: manifestius autem, ut dicatur Pater & Filius. Ita Luc. 3, 2. factum est verbum Domini super Johannem, & venit prædicans Baptismum pœ-*

1.

2.

3.

D

ni-



- nitentiæ in remissionem peccatorum. *Matth. 21, 25. Marc. 11, 29. Luc. 20, 4.* Christus, ipsa veritas, dicit Johannis Baptisma è coelo fuisse, ἐξ οὐρανοῦ, quod est à Deo, ut constat ex oppositione, ἢ ἐξ ἀνθρώπων, & idiomate Chaldaeo, quo coeli nomine Deus sæpius appellatur, docente etiam Scripturâ *Dan. 4, 23.* regnum tuum tibi stabile erit, & quo cognoveris מַלְכֵּי שָׁמַיִם quod coeli dominantur, cujus explicatio habetur versu præcedente. Ita fuit etiam apud Rabinos מְעַשְׂתָּ לְיְהוָה כְּשֶׁמְעַשְׂתָּ לְכָל מַלְכֵּי שָׁמַיִם omnes actiones tuæ sint in nomine coeli. *Drus. lib. 5. observat. cap. 11.* Hoc etiam modo dicitur peccavi in coelum, *Luc. 15, 18.* regnum coelorum *Matth. 11, 11.* quod *Lucas cap. 7, 28.* explicat, in regnum Dei. *Ibid. v. 30.* dicitur Johannis Baptismus βῆλῆ seu decretum Dei, ideoque Christus eum non tantum comprobavit, sed etiam sanctificavit *Matth. 3, 13.* & tota Sacros. Trinitas miranda Θεοφανεῖα collustravit. Baptizavit deinde aquâ, ut discipuli Christi *Act. 8, 36. c. 10. 47.* ita Johannes *Matth. 11.* Quid autem de formâ, quam Scriptura clarè non exprimit? Crebro etiam dicit Apostolos baptizasse; ubi verò illos invocasse in baptizando Trinitatem reliquit? quod tamen, omnes factum credimus ab ipso Christo hoc de articulo benè institutis. Ita dicit Paulus *1. Cor. 1.* se baptizasse Crispum & Gajum, & totam Stephanæ domum; non verò dicit se invocasse Trinitatem, quod tamen secundum illud *Matth. 5, 28.*
4. fecisse certum est. Idem de Johanne statuimus, eo quod hæc erat forma Baptismi, quam expressit nomine venientis post se Jesu Christi Scriptura *Act. 19, 4.* Ex quibus ita argumentor: Quicumque ab utero plenus Spiritu S, Christum novit, ac huic, ut viam præparet, præcursor à Patre mittitur, de Spiritu Sancti personâ à Patre ipso edocetur *Joh. 1.* & ab ipsa Scriptura dicitur baptizasse in jam venientem Christum Jesum, mundi Messiam; ille non potest ignorasse, & nō observasse mandatū Domini, quo baptizandum dixit in nomine Patris, Filii & Sp. S. Atque singula de Johanne Scriptura affirmat. Ergò. Si excipis; quomodo verò ipsum Christum baptizavit? Respondet Gregor. Thaumaturgus in sancta Theophania, Baptistam Christum ita alloquentē introducens: Τὴς ἄλλης βαπτίζων, εἰς τὸ σὸν ὄνομα βαπτίζω, ἵνα πισύσῃσιν
- σωσιν

σωσιν εἰς σέ τόν ἐρχόμενον μετὰ δοξῆς. σέ βαπτίζων, τίνος Ἰπι-
μνησῶ; εἰς τίνος δὲ ὄνομα σέ βαπτίσω; εἰς τὸ πατρὸς; ἀλλ' ὅλον
τὸν πατέρα ἔχεις ἐν ἑαυτῷ, καὶ ὅλον ἰσχυραίς ἐν τῷ πατρί.
ἀλλ' εἰς τὸ τῆς υἱοῦ; ἀλλ' ὅτι ὁ υἱὸς σέ ἀλλ' ὅτι φύσει υἱὸς θεοῦ ἀλλ'
εἰς τῆς ἀγίας πνεύματος; ἀλλὰ συνέτιστοι Διὰ παντός ὡς ὁμοσῶν
σοι καὶ ὁμόβουλον. Finis expressus satis: in remissionem peccato-
rum. Ut ergo Apostoli *Act. 2, 38. c. 22, 16.* ita quoque Johannes *Marc.*
1, 4. Luc. 1, 3. quod explicatur *Matth 3, 7. Luc. 3, 7.* ideoque & hujus
necessitatem monstrat Christus, *Joh. 3, 5.* Quare Baptismus Jo- 7.
hannis cum Christi aut est essentia & specie idem; aut est diver-
sas. Si est diversus; sequitur quod sit aut V. T. aut N. aut medius
inter utrumque: atqui non potest esse medius, quia sic constirue-
retur tertium Testamentum, quod est absurdum & contra ex-
pressam Scripturam, idque fatetur etiam Bellarm. *c. 19. de Bapt.*
Neque potest esse Veteris; quia Lex usque ad Johannem, ex 8.
quo, ut Tertullianus *adversus Marcion. l. 4 p 272.* loquitur, Johannes
Judaismi & Christianismi limes est &, Cyrillus in *Joh. l. 2. c. 57.* vo-
cat Baptismum Johannis introductorium ad perfectionem, ac di-
cit, vim obtinuisse preparationis secundum illud Angeli: mis-
sus ante faciem, ὁ ὀπίσω με ἐρχόμενος, non venturus, sed veni-
ens, ut etiam *Act. 19, 4.* Ideo Augustinus de eo: cui licuit præ-
nunciare absentem, & videre presentem. Est ergo N. T. cujus 9.
unum saltem est Baptisma *Eph. 4. 5.* de quo Cyprian. *ad Pompon.*
ab unitate Baptismi qui discesserit, cum hæreticis necesse est in-
veniatur; (id quod duplicem Baptismum statuentes, quos jam
hic non tangimus, observent.) Aut ergo illud unum verum est
tantum, quod Johannes administravit, aut tantum quod Christi
discipuli; aut quod utriusque simul. Non Johannis tantum; aliàs ex
hypothesi adversariorum hodie non haberemus verum Bapti-
sma, quia Johannis; desit. Non Christi tantum; Ita namque 10.
i. esset N. T. duplex, quod contra clara Apostoli verba 2 alio Ba-
ptismo Christus caput: alio nos membra ejus baptizaremur, quod
est contra *Damasoen. lib. 4. c. 10.* ubi varias Baptismi distinctiones
enumerans dicit: Quintum est Domini, quo & ipse baptizatus
est. Baptizatus autem, non quod ipse egeret purificatione, sed
D 2 meam

- meam sibi approprians purificationem. Cui consentit Cyprianus *de Bapt. Christi*: Veniebat Christus ad Baptismum, non egeas lavacro, in quo peccatum non erat: sed ut Sacramento perennis daretur autoritas. Sic autoritas testatissima res est; Christum fuisse baptizatum à Johanne; ac quidem illo ipso Baptismo, quò post discipulis suis universum orbem baptizandù mandavit. 3. Christus sui susceptione non sanctificasset nostrum, quod idem contra Patrum est autoritatem. Plurimi enim illorum dicunt eum in finem Christum baptizari voluisse, ut Ecclesiæ suæ Baptismum consecraret. Nazianz. dixit Christum ἀγιζόντα τῆ καθάρσει τῆ ὕδατος. August. Salvator ideò baptizari voluit, ut non sibi mundiciem acquireret; sed ut nobis fluente mundaret. Emissenus *Tom. 1. de Epiphan.* In Jordanis alveo aquas omnibus gentibus ad salutem humani generis suo baptismo consecravit. Hilarius *Can. 2.* per illum in aquis ablutiois nostra erat sanctificanda purgatio. *Cyrell. Cateches. 3.* ἡγίαζε τὸ βάπτισμα ὁ Ἰησοῦς βαπτίζων αὐτόν. 4. Johannes non fuisset N. T. ἑξαρχος, nec gratiæ ex plenitudine Christi redundantis δικόνοιο. 5. non omnes in unum corpus baptizari, contra *1. Cor. 12.* Hæc autem omnia, quia sunt absona, evincunt Johannis & Christi Baptismum unum Sacramentum N. T. nulliusque discriminis, nisi qualis est inter verbum de Christo veniente & exhibito, ut loquitur B. Chemn. *Exam. C. Trid part. 2. pag. 66.*

ΑΝΤΙΘΕΣΙΣ

13. **H**ic concurrunt Pontificiorum Cinglii & Photinianorum, quorum primi hac nostrâ doctrina Christi Baptismum nimis deprimi clamitant; imò virtutem N. T. annihilari, ut habet *Bartscius in Postill. Dom. 4. Advent. p. 352.* inqviens: Qui Baptismum Johannis Baptismo Christi æquat, præcipuam N. T. energiam enervat; cui adstipulantur ad unum omnes. Verùm proprium hoc esse consecrarium dogmatis Pontificii, & non nostri, ex thesi constat. *Bellarmin. l. 1. de Bapt. c. 19.* dicit quidem, antiquum hunc esse Petiliani Donatistæ errorem: Baptismum Johannis & Christi esse unum: errare autem Jesuitam antiquum errorem, vera antiquitate exegesis probatum dedit. 2. *Salmeron Tom. 8. Tract. 58.* dicit:
- 14.

cit: Baptismus Johannis non erat Sacramentum, sed erat quid
sacramentale, hoc est, res sacra, h. e. Christi Baptismus desi-
gnans, quod idem scribit etiam Bellarminus: sed cognoscant
hi mentem & verba Lombardi, idem quod nos, afferentia, &
examinent ea secundum definitionem Baptismi, quam tradit
Catechesis Romana: Baptismus Christi est Sacramentum re-
generationis per aquam in verbo vitæ. At talis est etiam Jo-
hannis, quia est pœnitentiæ *Luc. 3, 3. Marc. 1, 4.* est aquæ in ver-
bo *Job. 1, 33. Luc. 3, 2.* Ergò. 3. Negat autoritatem Baptismi Jo-
hannis *Bellarmin. in explicat. Con. Trid.* Baptismus Johannis ab
ipso institutus, proinde non erat Sacramentum novæ legis. R.
Forſan quia vocatur Johannis Baptismus? at ideò, quia appel-
latur Lex Moſis: cur non etiam Lex à Moſe lata, & non à DEO
eſſe dicitur? Audiatur cum ſuis Jeſuita Catholicos Romanos &
vetuſtiores & recentiores, lubricumq; fundamentum ſuum,
diſcutiat. *Lombardus l. 4. Sent. diſt. 2. lit. E.* dicit: à DEO erat
Baptismus Johannis, non ab homine tantùm. Ita *Thomas part.*
3. q. 38. art. 2. Job. Ferus in cap. 21. Matth. Baptiſmum Johannis
nemo dubitet è cœlo fuiſſe, ſic enim prædictum fuit: Ecce e-
go mitto Angelum meum &c. *Toletus in cap. 1. Job.* ſuper verba,
qui miſit me, id eſt: DEUS qui miſit me, hoc tunc mihi ſignum
dedit, quaſi diceret, ſi meo Baptiſmo datis fidem, & eum rece-
piſtis, tanquam à Deo, ſciatis illum eundẽ, à quo miſſus ſum ba-
ptizare, mihi hoc ſignum dediffe. Addat hiſ *Villagudum in eun-*
dem loc. Barrad. Tom. 3. Comm. in Concord. Evang. l. 8. c. 2. Luc.
Brugensẽ in cap. 21. Matth. 4. De materia ſcribit *Salmero T. 4.*
p. 19. Johannis Baptiſmus à Baptiſmo Chriſti differebat, non in
materia, ſed ſolum in forma & verbis. Verùm de Formâ clara
ſunt verba *Act. 19, 5.* ubi dicitur in nomine Jeſu Chriſti bap-
tiſſe, pariter, ut Apoſtoli *Act. 2, 38. c. 10, 41.* qui ſecundùm Bel-
larmin. baptizarunt in nomine Jeſu, non ſolius, verum adjun-
cto Patre & Spiritu Sancto. Nam baptizare in Jeſu Chriſto,
non eſt baptizari aliâ formâ, quàm Patris, Filii & Spiritus San-
cti, non autẽ quod in formâ Chriſti, ſine expreſſâ Trinitate Ba-
ptiſmus conferretur, ait *Salmero l. 3. diſp. in Ep. ad Rom. d. l. p. 486.*

15.

16.

17. procul dubio secutus *Lombard. l. 4. Sentent. dist. 3. lit. C.* ubi si
quæritur, in quâ formâ tunc, ante Christi resurrectionem, ba-
ptizarint Apostoli; sane dici potest, in nomine Patris, Filii &
Spiritus Sancti, scilicet in eâ formâ, quâ post baptizarent gen-
tes, quæ ante passionem potest intelligi fuisse tradita, licet non
fuerit scripta. Quod si ita discipuli ante Christi passionem ba-
ptizârunt, cur Johanni derogabimus, qui testis Christi, & cum
ipsius discipulis eandem professus est & ab signavit doctrinam?
Quæ reponimus *Salmeron. & Bellarmin. l. 1. de Bapt. c. 20.* mutam
ceremoniam absque verborum usu Bapt. Johan. fingenti; qui-
bus tam dicit verum, atque ipse mutus est locutus. Contrarian-
tur enim hæc expressis verbis Evangelistarum Marci & Lucæ
dicentium: Johannem prædicasse Baptismum. Quid autem
hoc est dictum? an saltem doctrinam de Baptismo Christi ex-
planavit; an verò verbum aquæ adjunxit, quod importat
idioma? 6. Effectum Baptismi Johan. infringunt *Concil. Trid.
Sess. 7. Can. 1.* Si quis dixerit Baptismum Johannis habuisse ean-
dem vim cum Baptismo Christi; anathema sit. Audiamus in-
terpretem, horum *Greg. de Valent. Tom. 4. p. 830.* Quod Baptism.
Johan. non contulerit gratiam & remissionem peccatorum,
probat ex verbis ipsius Baptistæ dicentis: ego vos baptizo
aquâ in pœnitentiam, id est, hortor ad pœnitentiam; vel ut *Co-
sterus in Postill. p. 120.* verba Johan. explicat: ego baptizo aquâ,
id est, nihil aliud facio, nisi quod aqua naturaliter agit p. 119. Ba-
ptismus meus est corporis ablutio: est expers gratiæ & remis-
sionis peccatorum. Ita & *Polycarpus in assert. de Bapt. err. 1.* Jo-
hannis Baptisma tantum fuit corporalis ablutio in aquâ. Et
18. hæc etiam fuit sententia Zinglii, & forsan aliorum Calvinia-
norum, qui certum esse scribunt, ministros nihil efficere in
conferendis Sacramentis, quàm id quod exterius est, & ad cor-
pus pertinet; quamvis nonnulli serio in hæc causâ contra Pon-
tificios pugnâsse videri cupiant. Sed reponimus his omnibus
saltem hæc dicta *Job. 3, 5. Matth. 3, 7. Luc. 7, 30.* & ex his hoc ar-
gumentum: Quodcunque Scriptura dicit Consilium DEI, ad
hominis regenerationem, ut effugiat futuram iram; illud non
est

est nudum *ἄεργον* & otiosum. De Johan. Bapt. loca allegata, hæc omnia probant. Ergò. His addi possunt *Act. 18, 23. 1. Pet. 4, 2.* Proinde vanum est, jure opus habuisse rebaptizari illos, qui à Johanne baptizati.

II. *Photiniani Pontificiorum* trahunt funem, ac inde est, quòd 19.
Socinus scribit *cap. 6. de Bapt. s. 71.* Neq; enim idem fuit Johannis Bapt. quasi Apostolorum à resurrectione Christi: imò in re maximi momenti differabant. Ad prim. not. p. 161. Scio plerosq; viros doctos hac nostrâ ætate eundem fuisse Johannis & Apostolorum Baptismum affirmare; sed aliter antiquiores Theologi sensisse videntur, aut certè ex ipsis non pauci, inter quos *Basiliius*. Quale autem illud discriminis, indicat *l. d. p. 71.* Apostolorum in Christi Jesu nomen ministrabatur: Johannis verò non. 20.
Osterod. in Germ. Instit. p. 359. Johan. Baptismum cum ipso desisse dicit, cum Pontificiis, quia non habuerit successorem & propterea non fuisse eundem cum Christi, & *p. 360.* Johannis Baptismum fuisse pœnitentiæ, quæ justis opus non habeant. Ad 21.
primum refutandum sufficere poterunt, quæ in exegesi dicta. Ad alterum producimur expressum locum *Act. 19, 4.* Ad 3. successores Johannis fuisse ab ipso baptizatos Christi discipulos eundem Baptismum administrantes. Ad ultim. Pœnitentiæ dictus fuit Baptismus, ut quid requireret, contineret, conferret, innumeretur. Requiebat ab hunc suscepturo talem pœnitentiam, qualem prædicabat Johan. *Matth. 3, 2.* Et quia efficax erat Sacramentum ad pœnitentiam, per Spiritus Sancti operationem in verbo; meritò dicitur *μετάνοιας* seu conversionis, ut Syrus reddidit, quia tota vita Christiana nihil aliud esse debet, quàm continua pœnitentia, ut justus continuo justificetur adhuc, qui sanctus sanctificetur adhuc, *Apoc. 22.* quod, nisi perfricit frontem, posuitque pudorem *Osterodus*, negare non poterit.

ΠΡΑΞΙΣ.

22.
Maximè solatur & excitat animum thesæos assertio, ex quâ scimus, nos membra habere unum eundemq; Baptismum cum capite nostro, qui contactu sanctissimæ carnis suæ illum sanctificavit, ut Patres loquuntur, ac illustri patefactione nos reddidit certos, etiam nostro Baptismo gratiâ & efficaciâ suâ
ad-

23. adesse Patrem, Filium & Spiritum Sanctum : ibi sonare vocem gratiæ & beneplaciti : hic erit Filius meus dilectus : Huic ego ero semper in Patrem ; ille mihi sit in Filium. Quorum dum recordatur fidelis anima medias inter afflictiones ita concludit: Ut de Filio suo unigenito, meum dum sanctificabat Baptismum, toti mundo dedit testimonium, illique eum commendavit : Ita ex eo ipso etiam Deus baptizans me præsens testatus est coram tota Ecclesia, & omnibus sanctis Angelis, se mihi futurum patrem benignum ; imò commendavit tum me Angelis suis custodiendum in omnibus viis meis. Quare quicquid Caro, Mundus, Diabolus mihi ogganniant, fidelis sermo Domini : Si cum ipso morior : cum ipso vivam : si patienter fero & tolero : cum ipso regnabo ; si negavero ipsum ; & ille negabit me : si infidelis factus (ἀπισθῆναι) ille fidelis permanet, negare se ipsum non potest 2. Tim. 2, 12. 13. Et quid fortius animum convincere, obligare & exhortari poterit ad poenitentiam & fidelitatem, ut Filium Dei me exhibere semper studeam, quam ejusmodi manifesta Majestatis divinæ mihi affuturæ promissio. Tolluntur verò & pereunt hæc omnia quando Baptis. Johan. quo Christus ipse baptizatus, toto genere diversus & alius statuitur à Baptismo nostro, quem dicimus Christi : & quidem eo magis Johannis Baptisma à Christi divellitur & removetur, quod sit sententia Pontificia & Photiniana, ut cuilibet ad oculum patefcit.

ΘΕΣΙΣ VII.

Baptismi in casu necessitatis, deficiente ordinario ministro, *quivis Christianus homo esse potest administer.*

ἘΞΗΓΗΣΙΣ.

I. Π Ἄντα εὐχρημόνως καὶ κτ' ἐξίν γινέσθω, dicit Apostolus 1. Cor. 14, 40. ubi agit de publico in Ecclesiâ ministerio & commendat simul ordinem etiam propter Sacramenta : Sacramenta verò non dicit esse propter ordinem, ut qui servit non dominetur : ac proinde necessitatis casu urgente piè cessare potest.

Quan-

Quamquam ergò per ordinarium Ecclesiæ ministrum, ubi fieri potest, meritò Baptismus semper administrandus & ab eo petendus; necessitas tamen, puta vel obsidionis, vel proscriptionis, vel pestis, vel agonis &c. potest præjudicare legi, in primis quæ non est contra divinam essentiam. Si quidem in Christo Jesu omnes unus sumus. Unde autem certi esse possumus, Christianum hominem quemlibet in casu necessitatis æquè efficaciter posse administrare Baptismum, atque eum minister Ecclesiæ illum peragit? Respondemus, ex generali vocatione, uniuscujuscunque Christiani secundum quam omnes sumus regale sacerdotium, *1. Pet. 2.* ita ut in Christo Jesu neque mas neque fœmina *Gal. 3.* Ab eadem vocatione generali dependet extraordinarium munus docendi verbum Evangelii & potestas moribundum fratrem absolvendi à peccatis. Hinc sic argumentamur: Quicumque in casu necessitatis aliquem potest absolvere à peccatis, illi etiam licitum est in casu necessitatis administrare Baptismum: At homini Christiano sive mas sive fœmina sit, licere prius in confesso est, apud Adversarios. Ergò & postèus licebit. Exemplum esto circumcisio, cujus in locum jam successit Baptismus *Col. 2.* Illa per Ziporam accepta fuit Deo docente Scriptura, *Exod. 4, 25, 26.* quod exemplum stat hæcenus inconcussum. 3. Laicos efficaciter & non sine fructu administrasse baptismum, testantur satis *Patres: Tertulian. de Bapt. Amb. ad Eph. 4. Hier. ad Lucif. August. contra Parmenii Epist. l. 2. c. 23. & Epist. ad Fort. l. 5. c. 13. contra Donatist: & l. 3. c. 19. contra eosd. dicit: Baptismus non est hominis, sed Christi, & tantum valet per hominem contemtibilem datus, quantum si per Apostolum conferretur. In decret. de Conf. Dist. 4. Can. mulier & sanctum est, &c. Lombardus l. 4. dist. 6. Quibus addimus Calvinii testimonium, quod habet l. 4. instit. c. 15. §. 20. Multis, dicit, ab hinc seculis adeoque ab ipso ferè Ecclesiæ exordio, receptum fuisse, ut in periculo mortis Laici baptizarent, si minister in tempore non adesset. Ex quibus exurgit hoc argumentum: Quicquid Scripturis Veteris & N. T. est analogum & praxi Ecclesiæ N. T. ab ipso ejus ferè exordio, Apostolorum,*

eorumque discipulorum tempore usitatum, illud nihil habet heterodoxi. Atqui tale est, quod in Thesi asseritur. Ergò.

ΑΝΤΙΘΕΣΙΣ.

6. I. *Bellarminus l. 1. de Sacram. c. 24. & l. 4. de Eucharist. c. 16. B.* Lutherum flagellat, quod docuerit, quemvis hominem baptizatum potestatem & jus habere administrandi Sacramenta. Opponit autem Lutherus generalem illam aptitudinem characteri Sacerdotali, de quo scholasticorum sunt disputationes, quod per ordinis Sacramentum in animam suscipientis cause- tur potestas quaedam spiritualis, per quam sacerdos fiat habi- lis ad conficiendum Eucharistiam, ita ut sine illo nullo modo confici possit & in cujus potestate signum animæ caracte- rem imprimi statuunt. Et loquitur insuper de necessitatis casu Lutherus.
7. II. Intempestivo odio prosequuntur hanc assertionem Calviniani, quorum ipse *Calvinus* vocat putidam profanatio- nem ministerii, cum nos loquamur de necessitate & defectu. *Beza* fabulam; cui opponimus auctoritatem Scripturæ, Pa- trum & praxin Ecclesiæ. *Bucanus* à Marcione introductum er- rorem: An verò ille ab Exordio Ecclesiæ? *Zepperus* vitiosum & illegitimum. An ergò Sacramenta ex qualitate ministri? quod Pontificium, quò hac in causa valdè inclinant Calvinia- ni *Chamierus* valde ridens temerariam vocat ludificationem, nullo modo in Ecclesiâ tolerandam; quod de ordinario esset verum, jam verò nos de usu extraordinario. Parum etiam Christianus sermo *Bezae* est, quo se malle ab ipsomet Diabolo in ministerii cathedra sedente, baptizatum esse, quàm à priva- to Christiano, qui non sit in ordinario ministerio verbi: quâ de causâ improbatur à *Petro Martyre 1. Cor. Commen. f. 44. fac. 2.* Et non immeritò. Quî enim anteferendus Pater mendacii *Job. 8.* cui Christus dixit: tace & obmutesce *Marc. 1, 25.* Christiano qui cohæres gratiæ, *1. Pet. 3, 7.* Hoc unum saltem à Calvino hac in re discerem: utrum Scripturis magis conveniens, Deo ma- gis placens, Ecclesiæ magis conducens substituere aliud, quàm quod à Christo ordinatum, quod debet esse perpetuum, Bapti- smi

fmi elementum, contra ipsa verba *Calvini l. 4. Inst. c. 15.* nihil sanctius, melius, tutius, quam unius Christi autoritate nos esse contentos, contra quod tamen ipsi faciunt, ut sequenti Thesi dicemus: vel ministerium, quod ambulatorium, extrema urgente necessitate exemplo & autoritate Scripturæ, & Ecclesiæ permutare?

ΠΡΑΞΙΣ.

Maximum homini Christiano ex pia thesco meditatione oboritur solatium. Audit etenim quantum ad majestatem per Christum ipse sit erectus, ut quisquis scit, possit tamen etiam necessitate urgente administer esse Baptismi & Christo regenerare filios, qui aliàs ob peccatum filii iræ & damnationis, Imò pervidere licet providentiam & dilectionem divinam, quibus ordinavit, ut sibi succurreretur potius à quocunque Christiano per hoc Sacramentum, quam ob defectum ordinarii ministri eò destitueretur. Firmum præbet insuper pietatis stimulum, quo permaneamus in dignitate, in quam Christus nos asseruit. Nil verò nisi meras de gratiâ Dei dubitationes, in primis fœminis, spirat antithesis, frenumque laxat impietati.

10.

ΘΕΣΙΣ VIII.

Baptismi elementum ab ipso **DEO** in verbo ordinatum est aqua vera naturalis.

ΕΞΗΓΗΣΙΣ.

Nihil sanctius, melius, tutius, quam unius Christi autoritate contentos nos esse, ac proinde partes Baptismi *συστατικάς* à sola ipsius ordinatione, cui tantum innutriri oportet, certi si aliquid trahere velis, definire. Esse autem Elementum Baptismi tantum aquam, eamque veram, naturalem, fluminum, fontium, maris, &c. non factitiam aut medicatam: satis firmis Scriptura probat documentis. Firmissima namque ac infallibilis verborum Scripturæ exegesis ab ipso CHRISTO approbata, aliisque demandata est discipulorum praxis, quam regulam certissimam teneamus & strictissime sequamur. Hæc enim ostendit ver-

1.

2.

E 2

ba



- ba institutionis Baptismi de aqua, de naturali & vera aqua, uti sonant, nullóque alio, quocunque veniat nomine, liquore intelligenda, id quod Scriptura aliis in locis satis declarat. Johannem dicit missum βαπτίζεν ἐν ὕδατι *Joh. 1, 33.* & baptizasse etiam ἐν ὕδατι *v. 26.* in Jordane *Math. 3, 6. 7. 11, 16. Marc. 1, 5. 8. 9. Luc. 3, 16.* in Ænon ubi aquæ multæ *Joh. 3, 23.* & de hoc ipso Baptismo aquæ sermonem esse CHRISTO cum Nicodemo, eúmque commendari à necessitate & utilitate *Joh. 3.* author est Pelargus. Sequitur hæc Apostolorum non solum post, sed etiam ante passionem CHRISTO adhuc vivente tantum aquâ Baptizantium exemplum *Joh. 3, 22.* Ubi arctissimè conjunguntur CHRISTUS & Discipuli, ut inde *Augustinus* dicat *Tract. 13. in Johannem*: discernit in magistrum & ministerium & utrumque de Domino scriptum est: & quod baptizabat plures, quam Johannes, & quia ipse non baptizabat, baptizabat præsentia majestatis, non baptizabat manibus suis: non tingebat ipse sed mundabat, sicut exposuit *Beda*; ipsius enim erat Sacramentum Baptismi, ad discipulos autem baptizandi ministerium pertinebat, *Act. 8, 35.* aperiens Philippus os suum & incipiens à Scriptura ista prædicavit Eunuchò JESUM. Cùm vero irent per viam, venerunt ad quandam aquam: & ait Eunuchus: ecce aqua, quid verat, quo minus baptizer *v. 38.* descenderunt ambo in aquam, & ille baptizavit eum. Cum autem ascendissent ex aqua, Spiritus Domini rapuit Philippum *vid. c. 12, 48.* ubi similiter vivâ praxi aquâ Baptismi elementum definitur. Hinc etiam Apostolo vocatur lavacrum aquæ ad *Eph. 5, 26.* cujus typum ponit Petrus *1. Epist. 3, 20. 21.* aquas diluvii. Et hæc secuta est Ecclesia vera & hætenus observavit: quia hæc omnia verbum βαπτίζεν, notans propriè tingere aquâ, fatente *Chamiero*, dilucidare & firmare satis potest.

ΑΝΤΙΘΕΣΙΣ.

6. 1. Pontificiorum, qui aquâ simplici, ut à CHRISTO definita & Apostolis adhibita, non contenti, mysticæ benedictionis oleo prius parandam & consecrandam dimicant. Ita enim habet *Cateches. Rom. p 308.* Aqua, quâ ad Baptismum utimur, prius paranda, & addito mysticæ benedictionis oleo consecranda est, idque

idque non nisi in vigiliis Paschæ & Pentecostes. Et mortaliter peccat, inquit *Toletus l. 2. de Casib. Conf. c. 18. ex Bonaventura 4. Sent. dist. 3.* qui in aquâ non benedictâ baptizat. Ast *Tolete*, constat ex supra Patrum adductis dictis, CHRISTUM benedixisse & sanctificasse omnes aquas, quod gregales etiam Tui arripuere libenter. Ergo nemo qui secundum CHRISTI mandatum baptizat, baptizare, nisi in aquâ, tantum ab ipso benedicto semine benedictâ, debet. Atque tu forsân de hodiè in Romana Ecclesia recepto benedicendi & exorcicandi modo? Monstrabis nobis illum à Johanne & Apostolis usurpatum, & dicas illos mortaliter peccasse. Neutrum potes ex Scripturis, Ergo. Audi *Augustin. sect. 37. de Temp.* per CHRISTI Baptismum omnes aquæ consecratae sunt. *Justinum Martyr. Apol. 2. pro Christian.* Credentes Catechumenos eò adducim9, ubi est aqua, quâ loti regeneratur. *Pammelius notatione 27. in Tertullian. de Baptism.* benedictionem aquæ ante Baptismi celebrationem ex veteribus probare voluit, sed *Vasquez in part. 3. Thom. Disput. 6. c. 2* ingenuè respondet: pro consuetudine servandi aquam benedictam citat ipse (*Pammelius*) aliquot patres, in quibus nihil pro eâ invenire potui. *ibid.* prolixè addicta veterum respondet.

II. Pontificiorum, Calvinianorum, & Photiniani Moscorovii refut. app. *Schmigerii p. 39.* error est, in quovis alio liquore, lixivio, jusculo carniû, piscium, aquâ factitiâ, sulphurâ, &c. absolvi posse Baptismum. Conquiruntur equidem quidam Pontificiorum per calumniam sibi hoc tribui; verum producimus 1. *Platinam*, qui hoc testatur de victore 2. *Volaterrenum*, qui *lib. 7. de Greg. de Innocentio VIII.* 3. *Richardum*, qui *expressè l. 4. sent. dist. 3. Art. 3. q. 3. 4. Toletum l. 2. de Casibus Conf. c. 18. 5. Fabium incarnatum Theologum Neapolitanum in scrutinio Sacerdotum tract. 2. de Bapt. 6. Gregorium de Valentia Tom. 4. disp. 4. c. 1. q. 1. Col. 760. & c.* His accedit *Calvin. Beza*, qui *Epist. 2.* scribit: ego verò quovis alio liquore non minus rectè quam aquâ baptizarem, si desit aqua: cui se associat *Moscorovius*, *Photin.* nec non alii plures. Satius autem esse Baptismum intermittere, quàm usum aquæ mutare, monet *Augustinus tract. 15. & 80. in Job.* Sin verò cum *Bellarmino, Becano, Valentia*

lentiâ & Sandeo, Jesuita Herbipolen. in Them. seculari de secta protestantium Thes. 100 scribente, Lutherum in L. de C. Babyl. docere, quicquid dici possit balneum, esse idoneum ad Baptismum (quorum ne gry ibidem habetur) vel eadem sensisse c. 17 coll. mensal. respondemus: ex γυναικίς Lutheri scriptis, ut hoc l. Tom. 7. Jenen. Germ. p. 469. Lutherum esse dijudicandum: Colloquia verò Lutherum nec vidisse. Ita autem dicto l. scribit Lutherus: Esto; persona sit impia, & incredula, dummodò institutionem CHRISTI inviolatam servet, & non vino, cerevisia, lixivio, vel aliqua vapiana re, sed aquâ cum adjuncto DEI verbo utatur, tunc est & vocatur Sacrum DEI Baptisma.

11. III. Calvinianorum & Photinianorum, verba CHRISTI Job 3. v. 5. ac si non de aqua Baptismi loquerentur pervertentium. Zwingli in L. de Baptism. Calvin. l. 4. Inst. c. 16. Sect. 25. Petrus Martyr Comment. in 1. Cor. 7. F. 179. Zanchius l. 4. de Tribus Elohim. c. 5. F. 656. item Chassanio, Chamierus, Catech. Racov. Socin. Moscorovius, & c. aquam per metaphoram vel Spiritus Sancti gratiam intelligendam, vi litigant, cujus falsæ opinionis Chemnitium insimulare laborat Greg. de Valen. dist. 4. q. 3. Respondemus autem: de tali aquâ, seu Baptismo cujus pars aqua, loquitur hic CHRISTUS, de quali quæsit Nicodemus: quæsitur autem de Baptismo Johannis, qui jam introductus oppugnabatur à Phariseis, quod conferret remissionem peccatorum, quod ipsum vellicabat Nicodemum, satis clarè constat. De tali igitur etiam Baptismo CHRISTUM respondisse, si non quæstionem Nicodemi neglexisse, asseverabis. Augustinus super Epist. Can. tract. 6. in colloquio cum Nicodemus habito, CHRISTUS aquam intellexit de Baptismo, cum distinctè aqua per se & Spiritus ibidem sit nominatus. Spiritus quidem, ut autor & effector regenerationis: aqua verò, ut organum, per quod regenerat Spiritus Sanctus. Vident hoc ex adversariis Bucerus, Beza, Aretius, imo ipsi sibi in hoc tamen non constans Calvinus, à quibus reliqui se informari patientur, ut discant imprimis ab Aretio, quid etiam per aquam 1. Job 5, 6. 8. intelligendum; & semen Photini facile suffocabitur.
- 12.
- 13.

Aquam ab ipso DEO ad Baptismum consecratam & ab Apo- 14.
stolis adhibitam, meumque in ea perfectum audiens, tutò
promissioni divinæ confidere possum, Baptismum meum, esse,
secundum voluntatem divinam, legitimum: siñ verò in quovis
percipio licere liqore: incertitudo oboritur multa cum dubi-
tatione quoniam sit præferendus & quæ sequuntur exinde alia.

ΘΕΣΙΣ ΙΧ.

Res coelestis cùm aqua Baptismi est ipsa Sacro-
sancta Trinitas DEUS Pater, Filius Θεάνθρωπος
& Spiritus Sanctus.

ΕΞΗΓΗΣΙΣ.

Institutionis verba firmissimam esse regulam, secundum quam 1.
de Sacramentorum natura judicandum, omnibus constat; qua-
re Theos veritatem eò firmiter tenemus, cùm institutionis Ba-
ptismi verba, i. SS. Trinitatis præsentiam specialem polliceantur,
ipsa adoranda Trinitas in CHRISTI Baptismo manifestatione
suâ hanc dederit exegesis. 3. Scriptura nominatim singulas Tri-
nitatis Personas in formula Baptismi exprimat. 4. Ecclesia
CHRISTI id ipsum diversis quamvis phrasibus, sanctè profitea-
tur; Theos veritatem eò firmiter teneamus. *B. Lutherus in* 2.
Catech. & Aug. Conf. ex dicto Eph. 5, 26. Lavacrum aquæ in verbo,
verbum faciens rem coelestem, intelligit verbum institutionis,
quod nomen Patris, Filii & Sp. S. cum aqua unit ut non sit am-
plius simpliciter aqua, sed Deificata ut Luth. loquitur T. VI. Je-
nensi, vel ut *Hugo* habet: aqua diluendis criminibus per ver-
bum DEI sanctificata. Sicut aliàs sæpius in sacris nomen DEI 3.
ponitur pro ipso DEO *Psal. 9, 3. Psal. 20, 2. Psal. 44, 9. Malach. 1, 6. Joel.*
2, 32. Psal. 3, 2. Psal. 83, 17. & 19. ex quibus etiam Rabinis in ore est:
DEUS ipse nomen suum: ita per nomen suum hoc loco DEUS
se ipsum insinuat. Unde *Lutherus Tom. 6. Jenen. p. 305.* ubi de ma-
nifestatione illa gloriosa SS. Trinitatis in CHRISTI Baptismo
agens, scribit: *Denn wie diß herrliche Gepränge der göttlichen* 4.
Majestat allda einmal sichebarlich geschehen ist; also geschieht es
noch

- noch immerdar geistlich vnd vn sichtbarlich bey jeglichen / der in
Christum getaufft wird. Vnd ist nur mit dieser Erscheinung fürge-
mahlet / als zum ewigen Vorbilde / das allezeit die göttliche Majestet
selbst bey der Tauffe wil seyn. Vnd daß wir des gewiß weren / hats
Christus selbst deutlich ausgedrückt in der Einsetzung der Tauffe / da
er heisset täuffen / im Nahmen des Vaters / des Sohns / vnd des heiligs
gen Geistes. Also daß sich die Wort eben reimen mit diesem Ge-
sichte / vnd eben dasselbige dem Glauben fürhalten vnd zeigen / was diß
Bild sichtbarlich den Augen gezeiget: auff daß wir des keinen zweifel
haben sollen / wo die Tauffe ist / daß da gewiß der Himmel offen /
vnd die ganze Dreyfaltigkeit gegenwertig sey / vnd durch sich selbst /
den / so getauffet wird / heilige vnd selte. Et paulo post: Denn wie
es dort heisset in *præsentè visione*, also heisset es hie in *nomine Pa-
tris, Filii, & Spiritus Sancti*. Dort zeigt er sich sichtbarlicher Gestalt /
also hie in seinem Wort vnd Nahmen / & pag. seq. Darumb muß
man diß Wasser oder tauffen ansehen / nicht als ein schlechtes Wasser-
bad oder bloß Mahlzeichen. Denn wo sich G D E selbst hin ver-
bindet / daß er wil gegenwertig seyn / da muß er auch kräftig seyn / vnd
grosse göttliche Dinge ausrichten. Wozu solt er sonst sich sichtbar-
lich erzeigen / vnd solch Gepräng vnd sonderlich Wesen machen.
Atq; ita etiam Filius Dei *θεὸς ὢν* & *verè præsens est in Bapti-
smo cum omni virtute meriti sui ex sanguinis profusione & mor-
te exundante, operosus; ut meritò hîc applicare possimus ver-
ba 1. Job. 1, 8. Sanguis JESU CHRISTI Filii DEI emundat nos ab
omni peccato. Baptizamur enim in CHRISTI morte Rom. 6, 3. in
Baptismo Christum induimus Gal. 3, 27. Ex quibus dicit Ambrosius;
jam corpus ejus corpori meo sociatum est & sanguis ejus orna-
vit genas meas. Augustinus Tract. 11. in Job. unde rubet Baptismus
CHRISTI, nisi sanguine CHRISTI consecratus. Et B. Lutherus in
Postillis Eccles. par. 3. p. 34. Das Blut Christi wird kräftiglich in die
Wasser. Tauffe gemenget / daß man sie nun also nicht ansehen vnd
halten sol vor schlecht lauter Wasser / sondern als schön gefärbet vnd
durchrötet mit dem theuren rosinfarben Blute des lieben Heylands
Christi / daß es nicht heisse ein gemein Wasser. Bad / wie Moses oder
der Vater geben kan / sondern eine heilsame Blut. Tauffe oder Blut-
Bade!*

Bade/welches allein Christus durch sein eigen Tod zugerichtet.
Tom. 8. Jenen. Der Will und Befehl Gottes ist / daß man den
Menschen Christum Jesum seinen lieben Sohn annehmen/hören
vnd an Jhn glauben sollen/daß er das Lamb Gottes sey/ das meine
Sünde trage/das hebt sich in meiner Tauffe an/daraus folget / daß
die Tauffe sey ein heilig Wasser/ja das Blut Christi für unsere Sün-
de vergossen seyn muß/das unsere vnd der ganzen Welt Sünde ab-
wasche. Dwer das glauben könte/der were schon selig. Vid. Tom. 7.
Jen. Germ. f. 405. Quod si ergo Pater & Filius, merito & Spiri-
tus Sanct. ex verbis Matth. 28, 16. præsens est, qui etiam ob officii
sui executionem solus hic nominatur Job. 3, 5. Tit. 3, 5. 2. Cor. 1, 22.
Proinde verè adest SS. Trinitas, & cum eo qui baptizatur Pater
pangit foedus 1. Pet. 3, 21. Salvum reddit per hunc fontem salutis
Tit. 3, 6. eumque in filium adoptat. Filius nos lavat & mundat
Eph. 5, 26 ut abluti sordibus peccati eum justitiæ stolam induamus
Gal. 3, 23. quo renati & renovati Spiritu S. Tit. 3, 5. nova simus in
CHRISTO Creatura; quo applicat Ambrosius verba 1. Joh. 5. di-
cens lib. de his qui init. Myst. c. 4. Ideo legis, quod tres testes in
Baptismo unum sunt, aqua, sanguis & Spiritus, quia si unum ho-
rum detrahas, non stat Baptismatis Sacramentum. Lutherus
Tom. 6 p. 306. Wir sollen die heilige Tauffe ansehen/ als eitel Blut
des Sohns Gottes/als eitel Feuer des heiligen Geistes/ darinnen
der Sohn durch sein Blut heiligtet / der heilige Geist durch sein
Feuer badet/ vnd der Vater durch sein Licht vnd Glanz lebendig
machtet/also/daß sie alle drey persönlich gegenwertig/ vnd zugleich ei-
nerley göttlich Werck ausrichten/vnd alle ihre Krafft in die Tauffe
aussehütten.

ANTITHESIS

I. Calvinianorum, quos Sacramentum hoc majestate di-
vinâ privare, ipsorum attestantur opiniones, quamvis inter se
dissentientes, vide Bucan. p. 570. Trelocat. par. p. 98. Polan. l. 1. part.
th. p. 225. &c. & tamen, ut patet, subdolè & fraudulenter san-
guinem Christi rem cœlestem Baptismi asserunt, ut constat ex
verbis Bezae Coll. Momp. f. 448. ubi exclamat: sed cur præteritis
sanguinem Christi, qui est substantialis pars Baptismi, sine quo
F
nulla

13.

nulla fit ablutio à peccatis, quam aspersio aquæ repræsentat & offert. Ita etiam *Trelcatius, Bucanus*, & alii speciosè disputant; cum tamen alibi communibus suffragiis pugnent, sanguinem Christi esse tantùm in cœlis: qui ergò hîc in Baptismo? Aut verè & realiter, ut decet partem *συσάλυττον* Sacramenti & non significativè tantùm adest sanguis Christi in Baptismo; Aut nihil rei cœlestis adest aquæ in Baptismo; jam verò de primo non adest hîc expressum verbum; & contrariatur opinioni Calvinianorum, quod sanguis Christi tantùm in cœlis. Remanet ergò secundum. Parùm abest quin manus porrigant & fratres suos Photiniani deosculentur Calvinianos.

14.

II. *Photinian. Schmaltzius* cum aſſeclis (1.) Baptismum esse absque ulla re divinâ meram aquam, furiosè contendit, cui perpropè accedit *Musculus in locis p. 691.* scribens: Sacramentum esse elementum externum & figuram externam, ut in Baptismo aqua. (2.) In Baptismo aquæ esse Spiritum, non minùs dicit esse erroneum. Nullam enim *Johan. 3. v. 5.* fieri mentionem Baptismi. (3.) dicit, sanguinem Christi esse in Baptismo quàm indignum est Theologo affirmare *diſſ. de Bapt. contra Frantz. Sect. 4.* Sed num Satanicas has aſſertiones responsione præter theseos exegeſin dignabimur? adest Baptismo verbum, verbo Deus. Num ergò nihil divini Baptismo? de Loco *Joh. 3.* supra. Virtute suâ adesse Christi sanguinem claret ex adductis Scripturæ dictis.

15.

ΠΡΑΞΙΣ.

16.

Quantò discipuli Domini ex visione Claritatis Dei tranſeunte replentur & perfunduntur gaudio; tantò & eò majori quilibet fidelis ex pia theseos meditatione reficitur permanente. Qui enim non lætetur atque exultet homo benignitatem divinam ubertim sibi exhibitam, & in verbis Lutheri declaratam, recognoscens, atque arguens exinde: In Baptismo ipsa SS. Trinitas præſens est, ut in ipſo Christi, & declarat se semper pio affuturam: rubet Baptismus virtute sanguinis Christi, Ergò & meus, quo ego dignatus à Deo. Si pius ego & probus fuero benignitate eâdem mihi semper affatura est to-

ta

ta SS. Trinitas, imò in corde meo per fidem habitatura, ut
quicquid mihi obveniat, tamen timere non habeam, quia Do-
minus mecum. Peccatum omne fugiam, omnesque ejus occa-
siones pessundabo, ne Deum meum fugē, sanguinemve Chri-
sti, quo ablutus, pessundem. Hi fructus sunt pullulantes ex
thesi, an verò tale quid sperandum ex antithesi? prorsus nihil
quia ipsum Baptisma re cœlesti privat, quâ non per illud ho-
mo cœlesti solatio atque ad cœlestia incentivo?

17.

ΘΕΣΙΣ X.

Baptismus perficitur in aquam immer-
sione, vel aspersione in nomine Patris, Filii & Spiri-
tûs Sancti.

ΕΞΗΓΗΣΙΣ.

EXprimit hoc ipse Christus in institutionis verbis *Matth. 28.*
ex quibus etiam Sacramenti hujus forma, & non aliunde
petenda: Requirit autem illa duo: in aquam vel immer-
sionem vel aspersione, & simul dictorum verborum claram &
distinctam pronunciationem, ne actio videatur esse muta;
quæ Apostolus etiam conjunctim exprimens, dicit Baptismum
lavacrum aquæ in verbo, *Eph. 5, 26.* Prius Christus mandat
verbo βαπτίζειν, quod literæ proprietate & immer-
sionem & aspersione seu affusionem notare supra monstravimus, ut
utrumque; rectum, sive immergendo, sive aspergendo baptizes,
id quod ex aliis Scripturæ locis clariùs elucescet. Vocatur e-
nim Baptismus hoc sensu *λειτουργόν Ephes. 5, 26, Tit. 3. v. 5.* quod
num semper immersione fieri asseverabimus? aspergendo fie-
ri posse, *Joh. 9, 7.* liquet, *Act. 22, 16.* dicitur ad Paul. ἀναστὰς βα-
πτίσαι καὶ ἀπόλυσαι τὰς ἀμαρτίας σου, ubi baptizare exponitur
per abluere. Ita etiam *Heb. 10, 22.* προσερχόμεθα μετὰ ἀληθι-
νῆς καρδίας ἐν πληροφόρῳ πίσσεως, ἐρραντισμῶν τὰς καρδίας
ἀπὸ σινδίσσεως πονηρῶν καὶ λελελυμῶν τὸ σῶμα ὕδατι καθαρῶ
quo loco Apostolum ad Sacramentum Baptismi respicere scri-
bunt *Chrysostomus, Oecumenius, Ambr. Theoph.* ut etiam ex *Calv.*
Pareus. Ac inquit Theodoretus; posuit hæc per comparatio-
nem: in lege enim utebantur aspersione & corpus fre-

1.

2.

3.



quenter lavabant; qui autem ex Novo Test. vitam instituunt, per sanctissimum Baptismum animam expurgant & à prioribus maculis liberam reddunt conscientiam. Baptismus ergò appellatur aspersio & ablutio per aquam mundam. Et quis credat Johannem Baptistam in tantæ multitudinis confluxu, cujus Scriptura meminit, omnes nudos in Jordane *Matth. 3, 5. & 6.* Apostolos uno die tria millia *Act. 2, 36.* Paulum in carcere carceris custodem, *Act. 16, 33.* Ananiam Paulum *Act. 9, 18, 19. & cap. 22, 16.* immersione, & non potius aspersione baptizasse? *δοσιον & ληψιν* Christus necessariâ monstravit; *δοσεως* verò & *ληψιν* *ψεως τριπτον* in libertate reliquit, de quo svadendum, quod svadet Canon. ordo in Ecclesiâ rectè constitutus studio novitatis non debet turbari: cujus fundamentum vide *Deut. 27, 17. Prov. 22, 28. Eccles. 10, 8.* Nulla enim res perinde labefactare solet publicam tranquillitatem, atque crebra legum morumque mutatio. Vid. *Lutherum Tom. 1. Jen. Germ. p. 307. & 308.* idem etiam de immersionis vel aspersions numero sentimus. In una enim fide nihil officit sanctæ Ecclesiæ consuetudo diversa, dicit *Gregorius l. 1. Epist. 41.* Deinde sub hac immersione vel aspersione baptizans, institutione Christi præcisè tenetur clarâ & distinctâ voce profiteri, quod baptizet in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti, quæque formula tantùm retinenda & sequenda, nisi Sacramentum mutilare velis. Explicat enim illa Sacramenti essentiam & auctoritatem, ut quamvis minister dicat: ego baptizo te, non tamen dicat, nomine meo, ut habet *B. Lutherus*, sed nomine DEI, ut non aliter habeas, ac si ipse Deus visibiliter fecisset: Autor & minister diversi sunt, sed opus idem utriusque, imò solius DEI per ministerium meum. Sic enim arbitror in nomine referre personam authoris, ut non tantùm sit nomen Domini prætere & invocare in opere, sed ipsum opus, tanquam alienum alterius nomine & vice implere. Invocant autem etiam istis verbis DEUM Patrem, Filium & Spiritum Sanctum baptizans & astantes super illum, qui baptizatur, ut ei DEUS hâc à se institutâ sacrâ actione gratiâ suâ secundum suam promissionem adesse, ipsum à peccatis lava-

lava-

lavare, regenerare & fide donare, justificare, in Filium adopta-
re, per Spiritum Sanctum obfirmare &c. velit; ac declarant, ,
cui ille, qui baptizatur, se in servum fidelē ad perpetuam justi-
tiam & sanctitatem contra adversarios strenuē servandam, ,
DE O nempe Patri, Filio & Spiritui Sancto obligarit, ut docuit
Basilius, dicens: baptizari nos oportet, sicut accepimus; cre- 7.
dere sicut baptizamur: glorificare autem sicut credimus Pa-
trem, Filium & Spiritum Sanctum. Nihil pariunt nobis obsta-
culi loca *Act. 2, 38.* ubi dicitur Apostolos baptizasse *Ἰν τῷ ὀνόματι*
Ἰησοῦ Χριστοῦ, cap. 10, 48. ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ κυρίου Ἰησοῦ, cap. 19, 5.
εἰς τὸ ὄνομα τοῦ κυρίου Ἰησοῦ, quæ formula etiam habetur *c. 8, 16.*
Non enim formulam Baptismi, quæ semper una ac eadem, hæ-
verò diversæ; sed author Baptismi, ex quo suam originem &
virtutem habet, Christus notatur, id quod phrasis cum con-
textu satis evincit.

ANTIΘΕΣΙΣ

I. Pontificii cum Photinianis dicunt Apostolos baptizasse in 8.
nomine Christi, eamque formulam habuisse ipsos ex singulari
dispensatione, ut statuit *Aureolus*, ex peculiari revelatione;
Thomas Eccius communiter omnes, dicit *Valentia*; quos imi-
tantur Photiniani, *Socinus*, *Schmalzius*, *Osteroedig* &c. quibus po-
sterioribus opponimus diversum Engedinum, dicentem: quia
Judæi Jesum pro Messia agnoscere noluerint, idcirco qui tan-
dem conversi Christum esse jam agnovēre, dicti sunt baptizari
in nomine Domini Jesu Christi, invocato nomine Domini Je-
su, quem antea cognoscere noluerant. Et petimus, ut hanc
suam sententiam nobis probatam monstrant Photiniani cum
Pontificiis ex Scripturis, quo donec destituuntur, fidem dare
ipsis non possumus.

II. Pontificii & Calviniani junctis manibus pro immerfio- 9.
ne decertant. Ex illis *Bellarminus l. 1. de Bapt. c. 1. Pistorius in Ho-*
deget. p. 492. qui asperfusionem ex Scripturis probari non posse,
sed per traditionem Ecclesiæ, autumat. His opponimus pra-
xim domesticam, & dein *Agenda Ecclesie Mogunt. sub Archiepisc.*
Sebast. anno 1551. edita, ubi p. 23. 24. thesis nostra affirmatur. Ex



his; ipse *Calvinus l. 4. Instit. c. 15. sect. 19. Beza Epist. l. 2. Kecker-
man. lib. 3. syst. Theol. c. 8.* quibus itidem propriam adversan-
tem praxin reponimus & *Petr. Martyr. in 1. Corinth. 10. f. 267.*
scribentem: scio veteres quando per ætatem & valetudinem
licuit usos fuisse merfione, quæ in V. T. adumbrata fuit, cum
Israëlita mare transmitterent; non tamen est necessaria ne-
que de illa præceptum extat.

10. III. *Photiniani*, quos inter *Moscorovius* falsissimum esse dicit,
non posse nos, nisi solius Dei nomine baptizari. Legimus enim,
inquit, aliquot in baptisate Johannis baptizatos *Act. 19.* in
morte Christi; quod idem sit, ac in ipso. Verum an *Act. 19, 3.*
de ipsa formula, an verò summa doctrinæ agitur? & quid
Paulo est baptizari in mortem Christi? ipse textus satis re-
spondet.

ΠΡΑΞΙΣ.

11. QVò longius quid recedit à Scriptura S. eò magis etiam ab ipso
solidiori solatii & pietatis fundamento, quod ex antithesi
clarum. Thesis enim ipsum Domini verbum cum sit, nil nisi salu-
tares fructus piæ menti potest largiri, ut cuilibet fideliter medi-
tanti ad oculos patebit.

ΘΕΣΙΣ XI.

Omnestotius mundi homines, ordine à Chri-
sto instituto, & Apostolis observato, sunt bap-
tizandi.

ΕΞΗΓΗΣΙΣ.

1. MANDAVIT hoc ipse CHRISTUS *Matth. 28.* omnes gentes qui-
cunque vel per se vel per alios petant lavacri hujus esse sub-
jectum. Duplex autem ordo omnes in universum continens po-
test constitui: Adultorum primus, infantum secundus, quorum
iste potissimum servit Ecclesiæ plantandæ, ubi adultos ad Bap-
tisum idoneos Scriptura pronunciat eos, qui in doctrina Evange-
lii instituti fidemque in CHRISTUM publicè professi *Act. 2, 38. c. 8,*
2. *12. 37. 38. c. 10, 44. 47. c. 19, 4. 5.* Infantes autem baptizandi sunt illi
qui in potestatem Ecclesiæ venere, cujuscunque sint generis vel
sexus

sexus, mo dō sint in lucem planē editi, vivant vitam humanam,
corpore etiam si interdum deformes, &c. Hos baptizandos pro-
bant (1.) ipsa verba CHRISTI *Matth. 28.* quæ tantam exprimunt
universalitatis latitudinem, ut neminem non includant. Cum
enim primo vocabulum ἐβρῶ & suo ambitu proprio in significato
ut h. l. satis amplam notet multitudinem. (2.) Per multitudinis
numerum tamen insuper ampliatur & ne ad certos populos æta-
tem vel sexum restringi salvā veritate possit, (3.) additur πᾶσι
terminus sine termino, quibus (4.) accedit ipsa phrasis generalis,
quæ CHRISTUS utitur discipulos ablegans, ut omnes, suos faciant
discipulos per Baptismum & verbi prædicationem, quæ singula
neminem excludunt. Deinde *Matth. 19, 13. Marc. 10, 14. Luc. 18,*
16. finite parvulos ad me venire & ne prohibeatis eos, talium
enim est regnum DEI. Amen dico vobis quisquis non receperit
regnum DEI, velut parvulus, non intrabit in illud; quæ verba
sunt emphaticotata, ut inde notemus 1. quod textus de infanti-
bus loquatur, testantibus (a.) ipso nomine παιδιά, quod Lucas
explicat per τὰ βρέθη, quod & usu & origine propriè notat fœ-
tum recens in lucem editum (b) πρὸς ἑφῆρον, quod propriè por-
tare notans teneram ætatem infantum innuit. (c.) oppositione
infantum & adultorum duplici, quorum his CHRISTUS illos
exemplo proponit & dein mandatum dat, ne ad ipsum venire,
præpediant, 2. infantes CHRISTOS esse acceptissimos, dicit Chri-
sti sancta asseveratio, amen; deinde infantum, ut adulti eos in
simplicitate, fidem absque rationis contradictione apprehen-
dente, imitentur, seriā commendatio; & tandem blanda, ut ad
illum venire sinamus per media à se ordinata, ex quibus infan-
tibus conveniens est Baptismus, unde introitum & januam salu-
tis veteres illum appellavere *Bernh. Epist. 241. Aug. Serm. 10. de ver-
bo Apost. Clem. Alex. in Pedagog.* invitatio, ad quam pertinet sen-
tentia CHRISTI *Matth. 18.* Non est voluntas coram Patre vestro
in cœlis, ut pereat unus de pusillis istis. Media ergo etiam illis
ordinavit, sine quibus ordine à se pacto non offert, exhibet, do-
nat, applicat gratiam per meritum suum toti mundo partam:
sed in hunc ipsum usum certa ista instituit & ordinavit organa ut
gra-

3.

4.

5.

6.

gratiæ qui particeps futurus, ista non aspernet, sed piè ac decen-
 ter utatur. Atque ex hinc etiam ministerium Ecclesiæ instituit,
 ut media ista offerant atque applicent omnibus illis, ad quos
 pertinet promissio Evangelii de gratia DEI & salute æternâ.
 7. 2. Infantium necessitas & indigentia Baptismi ejusque finium,
 pro qua nos tanto magis loqui debemus, quanto minus loqui
 possunt isti, docente *Augustino*, id ipsum probat. Sunt enim caro
 de carne nata; ergo & infantium necessitatem indicat, *Job. 3. 5.*
 Neque enim negari potest, phrasin istam *ἐὰν μὴ ἴσῃ*, nisi quis, esse
 universalitatis amplissimæ notam firmissimam? Tandem perti-
 nebat ad infantes Veteris T. circumcisio *Gen. 17. 7. & seqq.* ergo
 Baptismus etiam ad infantes N. T. quia utriusque par est ratio,
 eadem causa, necessitas, finis & efficacia, in illiusq; hæc successit
 locum *Col. 2. 11. 12.* Sicut ergo ab illa Veteris Test. infantes arceri
 non poterant; ita Novi Test. non ab hoc, quod argumentum fuit
 8. *Augustini.* Arcentur autem quam maximè à Baptismo ipsis
 prohibentibus. Addamus his praxin Apostolorum integras fa-
 milias baptizantium *Act. 16. 15. & 33 c. 18, 8. 1. Cor. 1. 16. & Act. 2. 39.*
 ubi Petrus expressè etiam filiorum esse promissionem dicit.

ΑΝΤΙΘΕΣΙΣ

9. **P**ontificiorum. I. Non tantum hominem sed etiam alias res
 Baptismi subjectum facientium, in primis campanas, quod
 quidem per calumniam sibi tribui conqueritur *Bellarminus lib.*
4. de Pont. c. 12. §. vel *Hofius l. 4. de Cathol. Eccles. p. 649. Tannerus*
in dioptr. l. 2. q. 4. c. 20 p. 469. Verum expressè hoc habent &
 10. defendunt i. *Discipulus* de tempore *Serm. 17. de Sanct.* qui cam-
 panas & alias res inanimatas baptizari dicit ab ipsis, cum hoc
 effectu, ut sint immunes à potestate Satanæ, terreant Dæmo-
 nes, coërceant potestates. Ac ejusdem generis habentur in
 11. pontificali edito ab *Alberto Castellano anno 1520. Balæus* comme-
 morat hanc campanarum baptizationem institutam esse à *Jo-*
hanne XIII, qui magnam campanam ad Johannem Lateranen-
 sem post coronationem Ottonis à se baptizatam de se nominare
 voluit. Confer *Martinum de Arles, in tract. de Superstit. num. 9. &*
 12. *14. Petrum Messiam Hispalensem l. 10. Div. lect. c. 9.* 2. Conquerun-
 tur



tur de hac dementiâ ipsi Pontificii, *Georgius Wicelius in compendio de Semita antiq.* Porro quæ, precor, nos, inquit, dementia cepit, usque adeò notabilis, ut abusum excogitarem de baptizandis glocis (si enim ajebat *Carl. M. in Constitut. suis*, in quibus, citante *Durantio*, statutum fuit, ut glocas non baptizarent) ut in hoc quoque assimilaremur Synagogicis, de quibus *Evangelista Marcus* scripsit, curæ fuisse illis βαπτισμὸς χαλκίων. Rem ut extenuant, vocant tantum lationem. *Wierus l. 1. de Præstig. Demon. c. 9.* Proceres Imperii in gravaminibus suis anno 1523. legato Pontificis oblatis grav. 51. conquestus notat. II. Magis adhuc abominabilis est abusus Baptismi Hispanorum Grönin-gam Frisiæ pervenientium, & vexilla sua baptizata chrismate inungi, adjurari, consecrari & benedici curasse, aliud Barbaram, aliud Catharinam & sic deinceps nominasse *Alvear. exam. Pontif.* referente. Subjiciuntur & hodiè apud Pontificios Baptismo Corallia, armillæ, & nescio quæ alia cum infante, de quibus jurato asseverant, valere omnia ea contra varios morbos & imprimis Epilepsiam. Quæ omnia planè nullum habent in Scripturis fundamentum, sed potius contrariantur. III. Baptizari volunt Pontificii infantes nondum planè in lucem editos, ut *Gregor. de Valent. Tom. 4. Col. 763.* Falsò & contra mentem *Thome* censuit *Sotus*, infantem in utero non esse baptizandum, quia adhuc sit aliquid matris; cui assurgunt *Victoria & Gabriel*, quorum vel hos, vel illum à *Thome* mente aberrasse dicas. Nobis sufficit, quod Baptismus dicatur lavacrum regenerationis, ex quo cum *Augustino* sentimus regenerationem dici non posse, ubi generatio non præcessit; vel cum *Isidoro*: qui natus secundum Adamum adhuc non est, secundum Christum, non potest renasci, vid. *Lombard. l. 4. dist. 6.* IV. Statuunt quidam ex Canonicis, parvulos Judæorum per vim parentibus esse eripiendos & baptizandos. *Archidiaconus Johannes Andreas* & alii, quos refert *Semanca de Catholic. Institut. tit. 29. num. 53.* Contrarium verò rectiùs statuunt *Glossa in C. Judæorum. Causa 28. q. 1.* *Thom. secunda secunde q. 10. Art. 10.* *Heinriqvetz in Summ.*

13.

14.

15.

G

7707



moral. l. 2. c. 25. Bannes in Thom. d. l. Non enim coacta Deo obsequia placent. Vid. Matth. 7, 6. cap. 10, 14.

16. II. *Pædo-Baptismum impugnantium*, quos inter primas obtineant Pontificii Pædo-Baptismum ex sacris, nisi juncta traditione firmari non posse, opinantium, uti sunt *Jesuitæ Colloq. Ratisbonensi Bellarm. Valent. Bessens & alii*. Hæc ipsa quamvis in
17. publicis Scriptis profiteantur, non tamen erubescunt Authores compositionis *Pacis Dilling. c. 1. q. 9. B. Luthero* tribuere, quod semina Anabaptistici erroris sparserit, negando Pædobaptismum ex Scripturis clarè probari posse, *Tom. 2. Witebergens. f. 276.* cum tamen Lutheri sit Sententia non haberi aliquod peculiare & definitum in sacris hujus rei exemplum & statim subnectat: *Aber fromme vernünftige Christen begehren solches nicht / die sänckischen / halsstarrigen thuns / auff daß sie klug gesehen werden. Wiederumb werden sie auch keinen Buchstaben bringen können / der da sagt: Ihr solt alte Leute tauffen vnd kein Kind.* Et probat postmodum Pædobaptismum multis argumentis ex Scripturis petitis, quæ ibi videantur. Sin verò concedamus in *Dillingensium* sententiam, quid statuent ipsi de dictis suis Gregalibus, qui sibi ipsi cōtradicentes ex Scripturis probant & confirmant Pædobaptismum. His sese associant etiam *Phoniniani*, & cum iis quidam *Arminiani*, quibus satisfactum arbitramur in exegefi.
20. Sequatur Caterva planè pernegantium, Manipulum quorum ducunt *Carlstad, Zwinglius, Sternberg*, quibus annumera *Schwänckfeldium in Epist. ad Philip. Landgrav. Hassie.* Pædobaptismum se salvâ conscientiam neque confirmare neque pro Baptismo Jesu Christi habere posse fatentem. Secundum, hodie ni Calvinistæ, qui quamvis non expressis verbis impugnent, neque tamen solide impugnare possunt, stantibus ipsorum hypothefibus: infantes piorum parentum esse à nativitate sanctos & sub gratiam Christi; infantes actu non habere aut posse habere fidem: Sacramentum non esse organa generandæ, sed sigilla confirmandæ fidei, &c. Sequuntur enim ex his Argumenta, quæ cum Catabaptistis ipsis erunt communia: Sacramentum si-
21. ne

ne fide utentis est inanis Ceremonia. Pædobaptismus est tale.
 Ergò. Præmissæ sunt scholæ Calvinianæ: Ergò & conclusio.
 Item: qui non sunt capaces regenerationis & renovationis, ii
 non sunt baptizandi. Infantes sunt tales, asserente *Bezâ in præfat.*
Resp Prior. ad act. Coll. Mompelg. p. 24. Et parte secundâ, p. 97. 99. E. Ter-
 tium Anabaptistæ quorum Patriarcha *Balthasar Pacimonta-*
nus Viennæ Combustus. Menno Simonis in fund. fidei Coll. Embd. Clau-
 dunt agmen *Photinianorum Moscorovius* planè rejiciens: *Schmal-*
zius disp. 8. contra Frantz. p. 422. Lusum vocans puerilem, imò i-
 dololatricum. *Arminianorum Venator Theologiæ meræ & veræ p. 12.*
Welsing de Offic. Christi folio D. 8. quorum omnium argumenta
 adducere & refutare est supra adducta dicta rectè declarare,
 eorumq; sensum ex Scripturis aliis confirmare.

Restat *Socinus disp. de Bapt. cap. 15. p. 123.* & alibi pluries non
 credulos, sed incredulos baptizandos asserens, ubi reponimus,
Act. 2, 38. cap. 8, 13. 37. &c. ubi expressè *Philippus Euncho* dicit: si
 credis ex toto corde, licet. Et hic etiam mos est adultorum; in-
 fantum alia ratio.

22.

ΠΡΑΞΙΣ.

THeseos hæc est: omnibus salutare lavacrum Baptismi Chri-
 stus ex dilectione in salutem ordinavit; ergò ut & mihi con-
 ferretur; ergò & meus ipsi placuit, ut per illum fructuum ejus
 particeps redderem. Incumbet autem mihi, ut quia Deus me in-
 fantem in peccatis & sanguine meo jacentem *Ezech. 16.* non de-
 dignatus, sed hâc lavit salutari aquâ, adultus jam factus pro illa
 largissimâ gratiâ gratias piâ vitâ semper peragam. Deducit verò
 in dubitationum barathrum antithesis, in dubium vocans Pædo-
 baptismum non habilem statuens regenerationis infantem, &
 quæ sunt absurda contra Scripturam alia.

23.

ΘΕΣΙΣ XII.

Scriptura sacra tribuens Baptismo virtutem
 divinam sensu literali & proprio, est verissima.

ΕΞΗΓΗΣΙΣ.

Llla autem Scripturæ dicta sunt, quæ hîc potissimum intendi-
 mus,

1.



mus *Tit. 3, 5.* Lavacrum regenerationis & renovationis in Spiritu Sancto, *Eph. 5, 26.* mundans Ecclesiam lavacro aquæ in verbo *1. Pet. 3, 21.* Salvos nos faciens, quia est stipulatio bonæ conscientiae *Job. 3, 5.* nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, *Marc. 1, 4. Luc. 3, 3. Act. 2, 38. c. 22, 16.* dicitur conferre remissionem peccatorum *Rom. 6, 3.* reddimur participes beneficiorum mortis Christi, per illum, *Matth. 3, 7. Luc. 3, 7.* iram futuram subterfugimus, & si quæ hujus generis alia, quibus Spiritus Sanctus fructum Baptismi clarâ & expressâ literâ edocet. Et hæc non per tropos perversè contra genuinam propriam & simplicem significationem pervertenda; Patres etiam testantur, qui simpliciter, sicut sonant intellexere. *Augustinus enim contra Faustum l. 19, 11.* de Sacramentis dicit, quorum vis inenarrabiliter valet plurimum; ac ideò contempta sacrilegos facit; impiè quippè contemnitur, sine quâ non potest perfici pietas. *c. 13.* Sacramenta Novi Testamenti esse virtute majora, utilitate meliora, *c. 16.* de corporali Baptismi actione & de sono verborum promissionis inquit: hæc omnia fiunt & transeunt: sonant & transeunt: Virtus tamen, quæ per ista operatur, jugiter manet. *Tractatu in Johan. 80.* quare non ait Christus, mundi estis propter Baptismum, quò loti estis, sed ait propter verbum, quod locutus sum vobis: nisi quia & in aqua verbum mundat? Derrahere verbum & quid est aqua, nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum etiam ipsum tanquam verbum visibile. Et paulò post: unde ista tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur. Sicut igitur Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti; non quod magica vis quædam characteribus, syllabis, aut sono verborum inhæreat, sed quia est medium seu organum, per quod Spiritus Sanctus efficax est, proponens, offerens, exhibens, distribuens, applicans meritum Christi, & gratiam Dei ad salutem omni credenti: ita etiam Sacramentis tribuitur virtus seu efficacia, non quod in Sacramentis extra seu præter meritum Christi, misericordiam Patris & efficaciam Spiritus Sancti, quærenda sit gratia ad salutem: Sed Sacramenta sunt organa dativa, per quæ Pater vult gratiam suam

suam exhibere, donare, applicare: filius meritum suum applica-
re credentibus: Spiritus S. efficaciam suam exercere ad salutem
omni credenti. Non itaque Baptismum exæquamus cum ipso
Spiritu S. ut eodem modo & ratione dicamus, & credamus con-
ferre Sacramenta gratiam, quæ Spiritus S. sed accuratè & sollici-
tè cavendum est, quando de virtute Sacramentorum disputa-
mus, ne ea, quæ propria sunt ipsius DEI ad Sacramenta transfe-
ramus; hoc enim esset crimen idololatriæ: nec Sacramenta ad-
jungenda sunt merito CHRISTI, gratiæ Patris, & efficaciam Spi-
ritus S. tanquam causæ adjuvantes, seu partiales, dicente B. Chri-
stianis, & docente id ipsum Spiritu S. expressis verbis de Bapti-
smo jam ipsum salvare 1. Pet. 3. hoc est DEUM per ipsum Tit. 3. jam
Baptismum abluere Act. 22. hoc est: CHRISTUM lavatio aquæ in
verbo ad Eph. 5. Ideo dicit Petrus: Baptismum nos salvare, &c. Sed
addit per resurrectionem JESU CHRISTI: Paulus Baptismum
lavacrum regenerationis esse: sed declarat: DEUS secundum
misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis in
Spiritu Sancto.

ANTIΘΕΣΙΣ

I. Pontificiorum. Bellarm. l. 1. de Sacram. c. 1. differit ita: Lutherani,
et si Sacramenta non tollunt omnia, omnia tamen virtute
& efficacia spoliant. Fidei enim omnia tribuunt, (ita etiam Va-
lencia & Svaretz Juliani Apostata apud Sozom. l. 5. c. 18. verbis ut-
rentes, nil nisi fidem crepare clamitant) Respondemus his ver-
bis propriis, quæ evidentia confessionis nostræ extorsit l. 2. de Sa-
cram. c. 2. Lutherani de Sacramentorum efficaciam interdum ita
scribunt, ut videantur à Catholicis non dissentire. Et postea: vo-
lunt Sacramenta eodem modo concurrere ad justificationem, quò
prædicatio verbi, nisi quod prædicatio adhibetur auribus, & per
auditum fidem excitat: Sacramenta adhibentur oculis, & per
visum excitant etiam fidem. Item Bellarm. lib. 1. de Sacram. c. 6.
Lutherani omnes volunt gratiam ex CHRISTI passione nobis
per verbum & Sacramenta offerri & applicari. Neque refert,
quod ipsi non nominent alveum; nam nominant instrumenta-
lem causam, quod est longè amplius quam alveus. Idem tamen

*Bellarmin. lib. 2. de Sacram. c. 2. dicit nos docere, sacramenta non habere immediate ullam efficientiam respectu gratiæ, sed esse nuda signa, mediatè tamen aliquid efficere, quatenus videlicet excitent vel alant fidem, quâ homines justificentur; quod tamen ipsum, id est, excitare fidem, non faciant nisi repræsentando. Eodem modò calumniatur etiam *Alphonsus de Castro l. 3. advers. hæres. verbo Baptismus, Hæres. 4.* Et tamen supra à nobis positam *B. Chemnitii* sententiam; Sacramenta esse causas instrumentales, ita ut per illa media seu organa, Pater velit gratiam suam donare, exhibere, applicare: Filius meritum suum credentibus communicare; Spiritus S. efficaciam suam ad salutem omni credenti exerere, eodem capite allegans agnoscit dicta esse Catholicissimè. Falsò ergo nobis errorem Calvinianorum imputat, ut satis constat.*

- 96
10. II. *Calvinianorum* 1. *Petri Martyr* accusantis nos 1. *Cor. 7.* quod sacramentis plus tribuamus, quàm debeamus; ideoq; Pontificiorum classi adscribit. Patet autè ex supra dictis nos neq; plus, neq; minus sentire de efficacia sacramentorum, sed regiam Scripturæ viam insistentes, exprobrare pontificiis excessum, Calvinianis defectum. 2. *Grynei* enim in *præf. Theorem. suorum*, verba sunt: inscitiam verbis CHRISTI indignam, nescire, quod per Evangelium & Sacramenta nos ita erudiat Dominus, ut non per Evangelium & Sacramenta nos salvari credamus, sed per unum Dominum JESUM CHRISTUM Filium ejus vocare, justificare & beatificare. Cui ex asse astipulatur *Bucerus. Sorius in Johan. p. 138.* scribit: libenter fatemur DEUM communi lege verbum externum adhibere ad docendum suos, sed quod propterea medium & instrumentum sit, quò detur Spiritus S. & alia DEI dona, ex nullis Scripturæ S. locis probari potest. Et: *Sophistarum* est ista de instrumentis mediisque Spiritus & gratiæ DEI Philosophia, non Christianorum. 3. Omnium fermè est Calvinianorum sententia, dicta de Baptismo loquentia tropicè esse interpretanda, ut *Calvini, Beza, Piscatoris, Martyris, Zepperi, Tossani, & aliorum*, à quorum tamen partibus stare non videntur *Aretius, Ursinus, Marloratus, Chamierus*, quos etiam istis reponimus petentes, ut
- 11.

ut orthodoxiam amplexentur, ne etiam posthac, hac ex sententia quæ sequuntur absurda, ipsis obtendere, aliisque cum ipsis eadem foveantibus, adscribere cogamur.

III. *Anabaptistarum*, efficaciam Spiritualium donorum conferendorum medium esse Baptisma pernegantium. *Menno infundament. fidei & Anabaptista in Colloq. Embd.* quos clara litera Scripturæ satis refellit. 12.

IV. *Photinianorum*, omnem vim atque ἐνεργειαν Spiritualem Baptismo denegantiū, neque absque idololatria ipsi tribui posse contendentium, quos inter *Socinus de Bapt. c. 16. p. 131.* conatur demonstrare ad Christianissimum Baptismum necessario non pertinere: nec per eum effici nos Christianos probaturus est *Moscorovius*, cui affine *Bucani* pronunciatum *loc. 42. p. 648.* Baptismum non facere, sed significare Christianum. Videlicet! juxta illud *Tertulliani in Apol. c. 17.* fiunt non nascuntur Christiani. Et *Cor. 12, 13. Eph. 4, 5. Heb. 6. Act. 2, 41. Gal. 3, 27.* 13.

V. *Weigelianorum & Arminianorum*, quia eadem cum his est opinio; eadem etiam confutatio. 14.

ΠΡΑΞΙΣ.

OMnia quæ Scriptura S. universim de virtute Baptismi affert religioni nostræ addictus pius, certitudine divinā etiam de suo sentire atque inenarrabili exinde solatio & pietatis argumento sese erigere potest. Hæc autem omnia quia antithesis dissipat atque annihilat, nihil etiam isti addictus de suo Baptismo sibi certo polliceri habet, ut ex sequentibus clariùs evadet. 15.

ΘΕΣΙΣ XIII.

Baptismus est lacrum regenerationis.

ΕΞΗΓΗΣΙΣ.

VERba hæc *Pauli Tit. 3, 5.* proprie de Baptismi efficacia accipienda constat, partim ex supra dictis, partim Scripturæ locis aliis *Joh. 3, 5. & 25. Act. 2, 38. c. 2. 16. Eph. 5, 26. Rom. 6, 3. 1. Pet. 3, 21.* Partim patrum testimoniis, Baptismum hoc nomine inscribentibus. *Dionysius ἀναγέννησις, θεογενεσίαν Justin. ὕδωρ τῆς ζωῆς. Irenæus τὸ βάπτισμα εἰς θεὸν γεννήσεως. Cyrillus; Baptismus est animæ regeneratio. Chrysostom. quod est matrix embryoni: hoc est fidei aqua; Si-* 1.

2.

31

siquidem in aquâ fingitur & formatur. *Cassiodor*: Baptismus est
fons divinus, quo fidelis in novam creaturam regeneratur: par-
tim ex ipsis textus Paulini visceribus. Exponens enim Paulus
καὶ θεοῦ Φιλανθρωπίαν & misericordiam Dei Servatoris nostri:
Deinde *κατ' ἄρσιν* removei opera justitiæ, quòd illa non sint cau-
sa salutis; postremò indicat causam instrumentalem, nempe sa-
cramentum Baptismi, nomine lavacri, ut *Eph. 5.* etiam, dicit esse la-
vacrum regenerationis, quæ explicante *Johanne c. 1, 12. & 13.* est
donatio fidei, ut per illam CHRISTUM recipientes, filii Dei fiamus,
atque ita ex statu iræ, in statum gratiæ & salutis collocetur omnis
baptizatus, obicem per peccata contra conscientiam Spiritui S.
non ponens, quod potissimum de infantibus, in quos malitiosus
gratiæ obex cadere nondum potest, asseverandum. Vocans igitur
Paulus Baptismum regenerationis lavacrum, organum & sa-
lutare simul dicit medium justificationis, quæ est justitiæ CHRISTI
per fidem imputatio & peccatorum remissionis, quæ est peccati
ignoscencia, quod fit hac ratione, ut Baptismus non tantum offe-
rat, sed etiam per fidem, vel conferat, vel continuet justificatio-
nem: Parvulis ita: ut fidem prius in iis operetur, perquam justitia
CHRISTI ab illis apprehendatur, quæ principalis est fidei ἐν ἐργεία;
adultis verò prius factis Catechumenis per fidem præsentem,
quæ simul hoc organo alitur & augetur, justificationem conti-
nuat. Atque ita duplici nomine verbum & sacramenta possunt
statui media justificationis. (1.) Prout Spiritus S. fidem qua justi-
ficamur efficit, confirmat, auget, & hoc modò sunt propinqua
causa regenerationis & renovationis sicut dicitur *1. Cor. 3, 5. Paulus*
& *Apollo* ministri sunt, per quos credidistis. (2.) Quatenus verò
per ea fidei in regeneratione collatæ, apprehendenda offertur &
applicatur justitia CHRISTI justificata & salvifica; eatenus proxima
ratione sunt organa justificationis & salutis. Non enim talis
est Sacramentorum efficacia, quasi Deus per illa infundat & in-
primat gratiam ad salutem etiam non credentibus, sicut quidam
opinati fuerunt, etiam verustis temporibus sicut *Augustinus* reci-
tat *de C. D. l. 21. c. 25.* sed sicut *Paulus* de verbo dicit *Rom. 1.* Evange-
lium est potentia Dei ad salutem omni credenti. & *Hebr. 4.* non
pro-

4.

5.

profuit illis sermo non admixtus fidei. Ita de *Sacramentis* dicit
CHRISTUS: qui crediderit & baptizatus fuerit. Ubi tamen obser-
vanda Venerandi Theologi D. *Henrici Höpffneri*, præceptoris no-
stri suspiciendi *disp. 8. contra Mejerum c. 4. Aphoris. 2. §. 15.* non de-
bere haberi promiscuè actionem verbi & Sacramentorum, prout
organa sunt fidei: & prout sunt organa justificationis. Nam
circa fidem ita occupata sunt, ut organa operativa conferentia vi-
res supra naturales ad credendum, & excitantia atque instingven-
tia hominem ad earum usum, vel ut organa dativa offerentia ju-
sticiam à CHRISTO paratam, quæ in justificatione per fidem nobis
imputatur, eamque ut est per fidem imputabilis, & fide apprehen-
sam conferunt ita, ut DEUS illam imputet credenti ad justiciam.
Ubi etiam habetur cautela, ne Jesuitæ fucum faciant similitudine
manus, cui tam Sacramenta, quam fidem, comparant phrasibus
ambiguis, cum de applicatione justitiæ per Sacramenta est sermo.
Verè ergò infantibus per Baptismum confertur fides, per fidem
CHRISTI justitia, ut constat etiam ex illo *Matth. 18, 6.* qui scanda-
lizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt: quæ eadem ha-
bentur *Marc. 9, 42.* ut veritas eorum eò magis elucescat, nosque
eo firmiùs retineamus & sequamur. Loqui autem CHRISTUM
his in locis de infantibus mammulis adhuc indigentibus, testan-
tur (1.) vox *βρέφη.* (2.) quod simplicitatis sint exemplar, quo-
rum ætas à malitiâ remotior, id quod de pueris doctrinæ capaci-
bus dici nequit, teste experientiâ. (3.) Quia in ulnis affereban-
tur, non adducebantur *Marc. 9, 36.* Atque in ulnas à CHRISTO reci-
piebantur ibidem & *c. 10, 16.* Quo modo autem ejusmodi infans
scandalizari possit, Spirituali facile est dijudicare, non idem infi-
deli. Et si possunt scandalizari, necessum est ut recti sint in fidei
viâ. Tribuit deinde infantibus Scriptura fidei exercitia propria,
ut sunt in DEUM sperare *Psal. 22, 10. & 11. Psal. 71, 5. 1. Job. 2, 12. & 14.*
nec non effectus plurimis in locis, quorum positio certissimè po-
nit fidem. Natos dicit *1. Job. 5, 4.* ex DEO, & vincere mundum;
timere nomen Domini; laudare DEUM *Psal. 115, 13. Psal. 8, 3. Matth.*
21, 16. Apocal. 19, 5. Justos, placere DEO, *Matth. 19, 13. Marc. 10, 13. Luc.*
18, 15. salvari *Matth. 19, 14. Marc. 10, 14. Luc. 18, 16. Apoc. 20, 21.* Et hæc
H quia

6.

7.

8.

9.

10.

quia adeò sunt manifesta, etiam nostalium baptizatorum infan-
 tium de fide, quam per Baptismum regenerati accepere, certò pro-
 nunciare certitudinem possumus, quia fides non potest in illis,
 cum adhuc in ista ætate sunt, temerari ac violari peccatis contra
 conscientiam; atque eò magis ipsi infantes, quibus fides & justi-
 ficatio confertur, in individuo sic agnoscere possunt, pro notitiæ
 suæ, quam DEUS cognitam habet, modulo, suâ se vivere fide, & ad
 annos discretionis profecti, fiducialiter meminisse fœderis cum
 DEO icli, ac *υοθεσίας* suæ spiritualis, quæ verba sunt venerandi
 11. *Höpfneri d. l.* Et hæc etiam sententia fuit *Lutheri* in Epist. qua-
 dam, ad duos Pastores, de Anabaptismo scribentis; indubitatum
 hoc est, quod infantes baptizari fidem habeant, nec ex Scriptura
 contrarium probari potest, licet incertum nobis sit, quæ sit istius
 fidei ratio, aut quomodo credant. Atque ita etiam *Brentius* in *A-
 pol. conf. Wirtemberg. p. 439.* dubium non est, quin infantes Ecclesiæ
 CHRISTI membra non habeant talem, hoc est, explicatam, & ut
 ita dicam sensibilem fidem, qualem habent adulti, in quibus Spi-
 ritus S. est efficax per externum Evangelii auditum. Uno verbo:
 nobis sufficit perspicua veritas Scripturæ, infantes habere fidem
 asseverans, ut ut se ratio ei opponat.

ΑΝΤΙΘΕΣΙΣ

12. **P**ontificiorum, Calvinianorum, Anabaptistarum, Photinianorum &
Schwenckfeldii locum *Pauli Tit. 3, 5.* pervertentium, ubi *Bellarmin.*
l. 2. de Justif. c. 3. Reihing in Comp. Gignæus Diss. pecul. de scala Jacob. th.
29. Biblia Tigurin. An 57. Tossan. in Com. in h. l. & cū his nonnulli Photi-
niani legunt: per lavacrum regenerationis & renovationem, ut
post erig sit exegesis prioris, secundum Bezan; vel salutis causam
 cum concausa, secundum Pontificios, exprimat *Apostolus:* verum
 diversos Baptismi fructus exponi, manifestum est, nec etiam
 ullibi in Scripturis renovationi justificatio tribuitur; ideoque di-
 stincta lectio est, cujus exempla plura. Cum Anabaptist. ipse *Cal-*
vinus, Marlorat, Tossanus, Piscator, qui tamen valde titubante scribit
 conscientiâ; & cum his Photiniani, *Catechis. Racov. vers. Latin. c. 4.*
p. 19. Schmaltz. contr. Franz. Diss. 10. p. 312. & post 2. Diss. 8. p. 422. Mo-
sscorov. Catech. p. 198. Osterod. p. 358. locum *Pauli* non de Baptismo, sed
 ipsa

ipsâ regeneratione, quam *Paulus* lavacrum appellitet. *Socin. de Bapt. c. 3. p. 59.* cum reliquis pœnitentiam intelligit: Sed donec ex
Scripturis probetur, ullibi regenerationem in se consideratâ ap- 13.
pellari vel lavacrum vel pœnitentiam; à literæ perspicuitate
nobis non erit recedendum; id quod & *Anabaptistis Colloq. Emb-*
dens. & Mennoni fundam. fidei reponimus. Idem Baptismum
non esse medium regenerationis fingunt *Anabapt. d. l. Calvin. In-*
stit. l. 4. c. 8. § 21. c. 15. dist. 2. 22. Oecolamp. de Verbo Domini c. 2. Beza Coll.
Momp. p. 434. 435 infantes putamus absurdum esse renovari. *In præ-*
fat. Resp. prior. ad Colloq. M. p. 24. Non dixi pueros vel omnes, vel
aliquos reipsâ in illo Baptismi momento regenerari, sed rege-
nerationis beneficium suo demum tempore divinitus ordinato,
illum Baptismi actum in infantibus ex verbi auditu subsequi
Zwingli in Confess. ad Carl. V. art. 7. Ita regenerationem fieri vel 14.
ante vel post Baptismû, consensus est *Calvin. l. 4. Inst. c. 15.* non autem
ejus esse capaces infantes, scribit etiam *Schmalzius de natura fil:*
DEI cap. 4. par. 21. Moscorov. l. de Bapt. c. 7. p. 119. idololatriam dicit
Schmalzius Baptismo infantium regenerationem ascribere &
valde falli eos, qui hanc de regeneratione foveant opinionem, scri-
bit *Moscorov. centr. Smigl. p. 58. Pisecio in Respons. ad 8. rar. Camper. p. 95.*
Baptismum non esse undam salutis, non canalem gratiæ, non
merita CHRISTI in nos derivare, sed ritum & ceremoniam, per
quam Judæi & gentes Christianâ religione se devinciebant, di-
vinæ veritati consonum. Opponimus *Calvino* & suis, illud quod
ipse habet in *1. Petr. Petrus* docet Baptism. præcipuâ suâ parte
Spiritualement esse, deinde peccatorum remissionem & reforma- 15.
tionem vel hominis in se complecti; & *super cap. 5. Ephes.* Quod
Baptismo nos ablui docet *Paulus*, idè est, quod illic ablutionem
nostram testatur DEUS & simul efficit, quod figurat. Nisi enim
conjuncta esset rei veritas, aut exhibitio, quod idem est, impro-
pria esset hæc locutio: Baptismus est lavacrum animæ. Quod
autem aliqui in hoc elogio Baptismi magis extenuando sudant,
ne signo nimium tribuatur, si vocetur animæ lavacrum, perpe-
ram faciunt. Photinianos relegamus ad supra dicta, & per- 16.
spicuum Scripturam *Joh 3, 5. 1. Petr. 3, 21. Eph. 5, 26. Act. 22, 16. Rom. 6, 3.*

ad patrum orthodoxiam adversum utrosque provocantes, ex qua saltem *Bedam* audiant in *Johan. l. 1. c. 3* Peccator in fontem descendit; purificatus adscendit: descendit filius mortis; ascendit filius resurrectionis: descendit filius prævaricationis; ascendit filius reconciliationis; descendit filius iræ; adscendit filius misericordiæ: descendit filius diaboli; ascendit filius D E I.

17.

II. Pontificiorum est assertio, baptizari infantes in fidem parentum & patrinorum, si fideles fuerint: sin minus in fidem Ecclesiæ, vel universæ societatis Sanctorum, ut habet *Catechis. Roman. p. 283. Compend. Theol. verit. l. 6. c. 9.* à quibus parum absunt Calviniani. Sed quid *Habac. 2, 4.* quod toties urget Scriptura justus suâ fide viver.

18.

III. Negant Pontificii actualem fidem infantum contra expressam Scripturam. *Bellarmin.* dicit, assertione nostrâ nos facere injuriam sensibus: *Tannerus & Valentia*; docere *ἄπιστοξοι*: *Greiserus*; anile delirium. Respondemus ex *Bellarmin. l. 1. de Justif. c. 11. prop. 3.* Infantes non justificari sine ulla fide ex *Joh. 3. Hebr. 11. Rom. 3.* arbitramur hominem, &c. Jam verò hæc dicta, quæ *Bellarmin.* citat, agunt de verâ & operosâ fide. Ergo & illam habeat infantes. Deinde *l. 1. de Bapt. c. 8. §.* secundum argumentum concedit, pueros istos, de quibus CHRISTUS loquitur *Matth. 19. Marc. 10.* non fuisse grandiores, sed infantes, usu rationis adhuc destitutos, cum *Jansonio in Concord. Evang. c. 100. Maldon. in cap. 19. Matth. .vi. 3.* qui etiam in *cap. 6. Joh. v. 53.* fatetur cum *Vasquez in p. 3. Thom. Disp. 73 de Euch. c. 4.* infantes spiritualiter manducare carnem & sanguinem CHRISTI, quod fit tantum per fidem, quæ certè fidem infantum non possunt non astruere. Hanc in partem protrahendi etiam sunt Calviniani cum Pontificiis facientes, qui ut unam veritatem pernegent, sibi varia somnia fingunt, ac infantibus vel omnem fidem derogant, ut *Calvin. Piscator, Beza part. 2. resp. ad Act. Colloq. M. p. 97.* neque habere posse infanets fidem, inquit: vel potentiam remotam fidei aquirendæ infantibus concedunt, *Ursinus, Polanus, Trolcatius*: vel semen fidei *Calvin.* vel fidem potentia objectiva, *Martyr, Bucanus, Sophnius*; vel fidem existentia non verò essentia ut placet *Alstedio.* Miremur, quod non expressè cum Photinianis & Anabaptistis ægro-

19.

ægrotantium somniis simile dicant; quod nostræ Ecclesiæ ex
Scripturis de fide infantum docent. At pluris nobis est unum
evidens Scripturæ dictum, quàm omnium fanaticorum affabrè
ficta commenta.

I V. Agnoscentes *Pontificii* Theseos firmitudinem, præter
Scripturæ veritatem, Sacramenta gratiæ divinæ fingunt causas
physicas, ac operari aliquam qualitatem inhærentem, ut *Alen-*
sis, *Durandus*, *Thomas*, de quo adhuc quidam litigant. *Svaretz*
expressis verbis contendit Sacramenta esse causas gratiæ, per ve-
ram actionem physicam, non quod efficiant solam aliquam dis-
positionem ad gratiam, aut unionem gratiæ cum anima; sed
quod ipsa actio physica, per quam gratia fit, & educatur de po-
tentia obedienciali animæ, verè, realiter & physice dependeat à
Sacramentis; quæ etiam sententia *Bellarmin.* à quâ tamen recedunt
Occam, *Gabriel* & *Richardus*, nullum quia ipsi hujus rei inveniunt
aut vident fundamentum.

V. Eodem modo Baptismum conferre dicunt gratiam ex
opere operato, id quod *Alberto in cap. 6. Johan.* est perfectio operis
externi, sine motu interno; *Petro de Palude 4. Sentent. dist. 1. q. 1.*
Bieli. l. 4. sent. d. 1. q. 3. etiam si non accedat opus operans sive fides
& devotio interior suscipientis; vel ut placet *Bellarmin.* est conferre
ex vi ipsius actionis Sacramentalis à Deo institutæ non ex mente
agentis vel suscipientis, quæ verba sequitur etiam *Becang.* Summa
Pontificiorum eo redit, ut habet *Altenstrig in Lexico in verbo:* o-
pus operatum ex Communi D. d. sententia, per Sacramenta N.
T. significari & conferri gratiam, si vel maximè non adsit fides,
bonus motus interior in suscipiente. Hinc etiam *Cajetanus Cardi-*
nalis nomine *Leonis X.* à *Luthero* docente, quod non Sacramento,
sed fide Sacramenti homo justificetur, abjurationem exigens,
conceptis verbis proposuit: Fides non est necessaria accessario
ad Eucharistiam, vide *Paralip. Chronici Urspergens* Requiere a
Scripturam ad salutarem fructum Sacramentorum percipien-
dum fidem, satis clarè constat *Marc. 16, 16. Act. 8. 36. 37. c. 2. 23.*
c. 22. 16. Tit. 3, 5. ubi Apostolus dicens Baptismum lavacrum rege-
nerationis, ne per opus operatum (si ita loqui liceret, quod ta-
men

22.

men Barbarum dicit ipse *Tapperus in explicat. artic. 1. Lovaniens.* & neque in Scripturis neque Patrum scriptis modum hunc dicendi reperiri *Scotus 4. sent. dist. 1. q. 3.*) fieri intelligi posset, addit Spiritum Sanctum, qui in illo operetur sicut etiam *Job. 3. 5.* cum aqua conjungitur Spiritus. Et ut res sic fieret eò manifestior, addit insuper per **JESUM CHRISTUM** Salvatorem nostrum, ut ipsius gratiâ justificati hæredes simus vitæ æternæ. Et quomodo in hoc Scriptura, quæ sibi alibi nusquam, reclamaret, ubique justificationem fidei tribuens, quæ ὄργανον est ληπτικόν ex parte nostra, quo gratia in Sacramento oblata est apprehendenda & acceptanda; ut prorsus nulla sit fidei & Sacramentorum oppositio, sed vera subordinatio, & duplex causa instrumentalis, ut habet *B. Chemnit. Exam. Concil. Trid. part. 2 p. 36.* una quasi DEI manus, qua per verbum & Sacramenta in verbo offert, exhibet, applicat & obsignat credentibus beneficia redemptionis: altera quasi nostra manus, quâ fide petimus, quærimus, apprehendimus & accipimus, quæ DEUS nobis offert & exhibet per verbum & Sacramenta; id quod clarius ex supra dictis.

23.

Quemadmodum enim manus offerens & exhibens; & manus recipiens non sunt opposita, sed relative sibi invicem subordinata: ita quoque Sacramenta & fides. Agnoscentes hoc ipsi Pontificii, dixerunt *Gregor. in Ezech. nobis per fidem omnia peccata in Baptismate laxantur. Thomas part. 3 q. 62. art. 1.* Sacramenta instrumentaliter causant gratiam. Causa principalis agit per virtutem suæ formæ, quomodo causa salutis, non est assignanda, nisi soli DEO. Causa instrumentalis non agit, nisi per motum, quo movetur ab agente principali, unde effectus non assimilatur instrumento, sed principali agenti. Aqua Baptismi abluendo corpus secundum virtutem propriam, abluit animam, in quantum est instrumentum virtutis divinæ. *artic. 3.* Gratia non dicitur esse in Sacramento, sicut in subjecto, neque sicut in vase, prout vas est locus quidam, sed prout vas dicitur instrumentum alicujus operis faciendi.

24.

Hinc etiam *Bonaventura, Scotus, Durandus, Richardus, Occam, Marsilius, Gabriel* docent solum DEUM producere gratiam, ita ut Sacramenta non sint causæ physicae, nisi sine quibus

bus non fieret effectus, Et ipse etiam *Bellarmin. l. 2. de Sacram. c. 17.* fidem requirit conditionem, quæ applicet homini Sacramentum. It: utrumque esse necessarium, Sacramentum & fidem, ac unum sine altero non sufficere. *Cajetanus* fidei ad salutarem usum Baptismi necessitatem intuens, infantes habere perfectum Baptismum negabat, eò quod fide non instituti; quem tamen *Ambrosius Catharinus Episcopus Compsanus* reprehendit in *Libro contra Cajetan error. 87. & 88.* Quid quod ipsi Pontificii in octo diversas rapiantur in hac causa opiniones, colligente *Gerhardo*, quod quæ sit certitudinis argumentum, ipsimet judicent. Pudet *Bellarmin.* hujus sententiæ, ideoque *l. 2. de Sacram. c. 1.* calumniam vocat & mendacium, quando Catholicis hæc sententia tribuitur, quod conferre gratiam ex opere operato sit conferre gratiam peccatori sine fide & bono motu utentis. Penes quem autem mendacium hîc maneat, videat æquus lector & judicet.

ΠΡΑΞΙΣ.

Quod si jam hæc & alia adversariorum placita, quæ prætermittimus, examinaveris secundum illud *CHRISTI Matth. 7.* ex fructibus eorum agnosces eos, Magni illius Prophetæ *CHRISTI* filio an habere debeas, dubitabis. Hæc verò Theseos est sequela: Ergo & meus Baptismus est lavacrum regenerationis, & quo mihi fidem ad salutem *DEUS* est elargitus. Ideoque fidem etiam ut servem; vel amissam ut recipiam; vel debilitatam ut confirmem per verbi & Cœnæ usum salutarem, jugiter Deum invocabo, peccatiquæ occasiones per divinum auxilium evitabo, &c.

ΘΕΣΙΣ XIV.

Baptismus est efficax medium quo peccatorum remissionem *DEUS* confert.

ΕΞΗΓΗΣΙΣ.

Ex præcedentibus quamvis hæc ad oculum pateant; ubi enim fides in *CHRISTUM* vera, ibi & remissio peccatorum, ob *ἀντίθεσιν* tamen hæc ex Scripturis amplius sunt confirmanda. Promisit autem ipse *Jehova* hanc virtutem Baptismo etiam in *V. T. Ezech. 36. 25. Zach. 13. 1.* ac expresse tribuit in *N. Marc. 16. 4. Luc. 3. 3.*

- Johannes* baptizavit & prædicavit Baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum, quam urget etiam eò ferventiori Zelo *Petrus Act. 2, 38.* baptizetur unusquisque vestrum in nomine JESU CHRISTI in remissionem peccatorum. Ac *Ananias ad Paulum Act. 22, 16.* & post *Paulus Rom. 6, 3. Eph. 5, 26. 27. Joh 3, 25.* ubi disputatio est de Baptismo, qui καὶ ἐξοχὴν & in collatione aliarum purgationum vocatur καθαρισμός. Sunt equidem diversae doctorum de hoc loco sententiae; sed Baptismum innui ita concludo: De qua mundificatione unicè sermo est & in dissertationis occasione v. 22. & questione v. 25. & ipsa dissertatione v. 26. ac responsione, illa intelligitur nomine καθαρισμός. At qui de Baptismo *Johannis, &c.* Ergò. Ita etiam sentiunt *Chrysostr. hom. 28. & Augustin. tract. 13 in Johan. Lyra & Glossa ordin.* Verè ergo baptizato offertur, & si non obicem ponit, confertur remissio peccatorum, quæ est actus DEI summi judicis, qui hominem peccatorem fide provocantem ad CHRISTI obedientiam satisfactoriam pro se præstitam, liberat ab obligatione poenæ. Id quod inferunt phrasæ æquipollentes, ut cum DEUS dicitur ignoscere & non recordari peccatorum *Esa. 43.* scilicet quoad vindictam; nec non analogia nostræ remissionis, quæ in nos injurio proximo, cum ignoscimus, non mutamus ejus vitiositatem nec ipsi infundimus virtutem. Et hoc notat Scriptura vocabulis tectiois & præteritionis *Psal. 32, 2.* Detentionis, abluitionis, abjectionis, projectionis post tergum *Esa. 37, 17.* in profundum maris *Mich 7, 19.* sed respectu imputationis & vindicationis peccati. Consideratur enim peccatum vel ratione reatus, vel ratione Dominii, vel inhærentiæ: ablatio & deletio reatus fit in justificatione; Dominii in sanctificatione; inhærentiæ per glorificationem *2. Pet. 1. 3. & 4.* eo usque manet εὐπερίστατον ἀμαρτία *Hebr. 12, 2.*

ΑΝΤΙΘΕΣΙΣ

5. **P**ontificiorum docentium peccatum in Baptismo ita tolli, ut ejus in baptizatis etiam nullæ reliquiae remaneant. Quando *B. Lutherus* docebat, quod qui negaret in puero post Baptismum, remanere peccatum, contra CHRISTUM & Paulum loqueretur, ipse Pontifex *Leo X.* assertionem hanc damnavit, cujus post

Con-

Concilium Trident. sess. 5. Anathem. 5. sententiam expressit, per Ba-
ptismum ita tolli reipsa id omne, quod habet in homine ratio-
nem peccati. Si quis, ajunt, per JESU CHRISTI Domini nostri
gratiam, quæ in Baptismate confertur, reatum peccati originalis
remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram
& propriam peccati rationem habet, sed illud tantum dicit, ra-
di aut non imputari; Anathema sit. Hoc exprimens & decla-
rans Bellarminus l. 1. de Baptism. c. 13, §. contra hunc: sic dicit: per
Baptismum tollitur re ipsa id omne, quod habet in homine ra-
tionem peccati. Lindanus. l. 4. Fanopl. c. 17. clarius exprimit: ex-
terno signo aquæ adhibito, ita animam sordibus abluit, atque
reatibus semel expiat, nihil ut maneat sordium, nihil ut super-
fit reatum, &c. Quid autem ad hæc Scripturæ 1. Joh. 1, 8. Heb. 12, 1.
Sanctorum quærelæ Psal. 19, 15. Psal. 32, 6. Psal. 130, 1. Psal. 143, 2. Matth.
6, 12. Rom. 7, 7. Exhortationes Apostolicæ Rom. 6, 4. 6. c. 8. 1. c. 12, 13. 1.
Cor. 5, 7. 2. Cor. 4, 16. c. 7, 1. Ephes. 4, 23. Dicendi formulæ: peccata re-
gi, non imputari Psal. 32, 1. Rom. 4, 7. &c. Patrum sententiæ; Ambros.
in cap. 6. Rom. tollitur in Baptismo concupiscentia, non, ut non sit;
sed ne obsit. Augustinus l. 1. de Nupt. c. 25. dimittitur, non, ut non sit;
sed ut in peccatum non imputeretur. Nihil est quod opponant
Eph. 4, 27. Bernhardus enim Sermone 25. in Cant. de Patria cœlesti,
non autem hoc seculo interpretatur. Thomas part. 3. q. 8. Art. 3. Re-
spons. ad 2. itidem ad vitam æternam refert. Ideò rectè dicit
Glossa C. Si concupiscentia Caus. 15. q. 1. non tollitur penitus origi-
nale peccatum in Baptismo; quem sequitur etiam Johannus Drie-
do l. 1. de gratia & libero Arbit. originale peccatum solvitur qui-
dem in hac vita regeneratione Baptismi, non ut non sit, sed ut
in culpam non deputeretur. Atque ita etiam sentiunt Pontificio-
rum quàm plurimi, quos, quæsumus, prius liberet ab Origenista-
rum hæresi, quàm nos ex hac causa falsò accuset Bellarmin. l. 1. de
Baptis. c. 13.

II. *Calvinianorum sanctos Christianorum esse liberos ante*
Baptismum docentium. Calvin. l. 4. Instit. c. 15. §. 22. Non ideò ba-
ptizantur infantes, ut filii DEI primùm fiant, sed solenni potius
signo ideò in Ecclesia recipiuntur, quia antè promissionis bene-
ficio ad corpus CHRISTI pertinent. Beza Volum. 1. operum p. 332. in-

I

fan-

9. fantes ex fidelibus parentibus natos, pro sanctis, id est, in fædere
 d-vino comprehensis habemus, & cum *Paulo* dicimus: si radix est
 sancta, sanctos etiam esse ramos. In eandem Sententiam scri-
 bunt *Zanchius in Conf p. 163. Martyr. in loc. p. 1555.* quibus etiam affi-
 nes sunt Photiniani in primis propagationem peccati originalis
diagghndn negando, & Germani fratres Anabaptistæ in *Colloq.*
Franckenthal. Paræus eque in *Irenico p. 262.* negat suos velle no-
 mine sanctitatis internam cordis & Spiritualem munditiem, sed
 saltem Ecclesiasticam; verum verba sunt clara; piorum in-
 fantibus ad salutem aditum non esse Baptismum, sed ipsam ex
 piis parentibus propagationem: nasci Christianos & cives Ec-
 clesiæ sanctorum liberos: & talium ipse autor est *Paræus in cap. 11.*
 10. *Rom. dubio 12. & 13.* Ideoque: aut verum est CHRISTI illud effatum
Joh. 3, 6. David. Psal. 51, 7. Paul. Eph. 2, 3. Aut sanctitas de qua *Paulus*
Rom. 11, 16. 1. Cor. 7, 14. non est Spiritualis illa sanctitas, quæ, per fidem
 imputatur, neque illa quæ per renovationem inhæret renatis.
 Non potest autem non esse verum illud CHRISTI, *Davidis, Pauli;*
 Ergo sanctitas de qua *Paulus* loquitur dictis allegatis, non est
 Spiritualis sed Ecclesiastica, qualis erat Levitica *Levit. 11.*

ΠΡΑΞΙΣ

11. **T**Heseos hæc est: ergo & meus Baptismus mihi fuit efficax re-
 medium peccatorum meorum, quæ mihi Deus ex gratia re-
 misit, atque pius & probus si permansero, porrò tegere promisit,
 ut etiam si sentiam, non tamen noceat, Ergo ne dominetur, fre-
 nandum & subrigendum est, quod est peccati reliquum. Non
 verò ita antitheseos, sed ita, si peccatum omne aboletur in Ba-
 ptismo, ut etiam nil amplius supersit, ego verò illud reliquum
 in carne sentiam, ut sæpius quæ non volo, faciam: aut non rectè
 baptizatum me esse, habeo quod dubitem. Et hi sunt fructus do-
 gmatis *Pontificii, Calviniani* autem: sancti sunt infantes, ergo non
 indigent Baptismo.

ΘΕΣΙΣ XV.

Baptismus est gratiæ divinæ & acceptæ ju-
 stitiæ signaculum.

ΕΞΗ-

ΕΞΗΓΗΣΙΣ.

COMMUNEM hanc esse omnium Sacramentorum naturam, quod sint σφραγίδες signacula, oblationes, testimonia & pignora acceptæ gratiæ & confœderationis divinæ, sat claris verbis *Paulus* vel ex uno circumcisionis Sacramento, quod σφραγίδα Ἰησοῦ δικαιοσύνης Ἰησοῦ πίστεως vocat, edocet. Licet enim litera tantum circumcisionem exprimat, tamen propter identitatem naturæ genericæ, quam cum omnibus Sacramentis communem habet, rectè etiam de reliquis per inductionem didascalicam concluditur, quod Scripturis, ex una specie, vel uno singulari ἐπισημῶς sæpius inferentibus conclusionem generalem, non est infreqvens. Ubi enim nexus prædicati cum subiecto est necessarius, sive una sive plures sint præmissæ, quid vetat consequentiam exinde esse legitimam? Eodem fundamento nixi Patres Baptismum hoc nomine, quo *Paulus* circumcisionem, inscripserunt. *Dionysius* sigillum pactionis divinæ. *Basilius* σφραγίδα Ἰησοῦ πίστεως. *Cyrillus* signaculum sanctum & indelebile; *Tertullianus* oblationem fidei. Et *D. Petrus* eadem docet, vocans Baptismum ἐπερώτημα bonæ conscientiæ per resurrectionem JESU CHRISTI, qui est in dextera DEI. Ubi ἐπερώτημα, sive de interrogatione propriè dicta, interpellatione & postulatione, seu invocatione; sive de pacto bonæ conscientiæ accipias, non aberrabis. Vide *D. Höpsn. contra Mejerum. disp. 8. c. 4. Aphorif. 2. & 3.*

ΑΝΤΙΘΕΣΙΣ

PONTIFICIORUM, quorum I. *Bellarminus* (a) lib. 1. de Sacram. c. 14. sugillantem *Lutherum* Sacramenta sigilla verbi dicentem, ut recognoscat, petimus, quæ ipse scripsit lib. 2. de Sacram. c. 8. & quæ habet *Valentia de effectis Sacramentorum* c. 2. Sacramenta novæ legis esse efficacia signa & sigilla promissionis divinæ. (b) pervertem adducta loca Scripturæ ad Theologum dictum magnum remittimus.

II. *Concil. Trident. sess. 14. c. 2. Bellarm. l. 1. de Bapt. c. 18. Svaretz in Apoc. Serm. 15. p. 323. Cöster. in Enchirid. p. 370.* contendunt, Baptismi efficaciam ad futurum se non extendere, sed tantum ad præteritum, quæ sunt verba *Bellarmini*. Docens autem Scriptura, Ba-



ptismum foedus DEI, dicit illud simul ἀμεταμέλητον Rom. 11, 29. quod non potest irritum reddi per hominum incredulitatem. Rom. 3, 3. ac etiam si nos infideles; ille tamen fidelis permanet, negare se ipsum non potest. Ideoque ipse Deus lapsos in peccata ad istud pactum reverti jubet Jerem. 31, 12. Tanquam fundamentum hereditatis nostrae perpetuum Tit. 3, 7. quod consilium fideliter secutos videmus resipiscentes 1. Cor. 6, 11. 12. 13. Gal. 3, 27. 1. Pet. 3, 21.

6. Quare & nos accedamus cum vero corde in plenitudine fidei aspersi corde à conscientia malâ, & abluti corpore aquâ mundâ hortante Hebr. 10, 22. Et hanc doctrinam agnoscit veram *Salmero Tom. 13. p. 487. Dissut. in cap. 6. Rom.* dicendum est in Baptismo non tantum præterita, sed etiam futura peccata remitti, ut docet *Augustinus l. 1. de Nupt. & Concup. c. 33.* Ideoque vanus est error Pontif. per peccatum post Baptismum commissum virtutem Baptismi amitti ac irritam fieri, ita ut in illis qui postea poenitentiam agunt, nullus sit usus Baptismi, sed alia accipienda sit tabula, quæ ad portum salutis provehamur, nostra scilicet contritione, confessione & satisfactione; Quam captivitatem Babylonicam *B. Lutherum* deplorasse inquit *Chemnitius.*

ΠΡΑΞΙΣ.

8. **P**ENSITA jam Baptismum tuum esse signaculum gratiæ divinæ de remissione peccatorum, & sigillum promissionum divinarum de præsentem & futurâ salute; nec non, Baptismum tuum esse foedus DEI tui tecum, foedus æternum, *Esa. 55, 3. Jerem. 32, 39. Hos. 2, 19.* de quo etiam illud *Esa. 54, 8.* accipiendum; mare habebis consolationum, ut merito *Lutherus* dixerit: Baptismum Christianorum esse thesaurum pretiosissimum *Tom. 6. Jenen. Germ. f. 295. vide Chemn. Exam. Conc. Trid. part. 2. p. 72. 78 80. 315. 326.* cogita te ipsum stipulatâ manu in omnem voluntatem DEI tui, DEI justissimi, omnia videntis, DEI Zebaoth, verissimi etiam in complendis comminationibus, nisi sequatur poenitentia, jurasse, teque ipsi servum semper frugi & fidelem adversus carnem, peccatum, mundum, Satanam, exhibiturum; securitatem ut excutias, peccati occasiones prævertas; concupiscentiæ domineris; carnem crucifigas; Satanæ adverseris, fatis semper habebis incitamenti. Cogita beneficia immensa corporis & animæ, quibus Deo benigni-

tatem suam in Baptismo promissam, declaravit; statim, Spiritu Dei te regi si passus fueris, nosces quàm horrenda sit ingratitude, te per peccata foedifragum Deo tuo adversari. Qua de causa Ambrosius lib. de iis, qui myster. inis. c. 2. & August. l. 4. ad catechum c. 1. seriò hortantur, ut Christiani stipulationis suæ memores fient promissis, quibus in Baptismo Deo se obligarunt. His adjunge, quæ habet Lutherus Tom. 6. Jen. Germ. f. 303, 315, 316, 317. & Tom. 7. f. 404, 405, 464. Ac ejusmodi animi confirmatio bona ne ex ulla adversariorum sententia nobis opposita sequi potest, multò minus ex præsentente, quæ futurorum peccatorum remissionem præscindit.

ΘΕΣΙΣ XVI.

Baptismus ad consequendam salutem ordine divinitus sancito est necessarius.

ΕΞΗΓΗΣΙΣ.

I. **P**er videre hoc facile est ex hæcenus dictis de hujus Sacramenti autoritate, majestate, ac efficacia; illud, quamvis demum in N. T. tempore à Deo Ecclesiæ ordinatum & demandatum, non tamen esse in nostra libertate, eò sive uti, sive non: sed seriò quemlibet, Ecclesiæ, vivum qui desiderat esse membrum, ad illud obligari. Mandatum enim divinum omnem hîc præscindit indifferentiam, idq; fulmine tanto, ut nisi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu, non possit ingredi in regnum cœlorum Job. 3, 5. Ideò emissurus Christus Apostolos, ut Ecclesiam ipsi colligerent, ad hoc salutis medium adhibendum ipsos expressè alligat Matth. 28, 19. eo ut utamur usq; ad consummationem sæculi, quod ipsum etiam libenter exequuntur, uti exempla illorum testantur, quod in initiatione hominum ad Christianismum de Baptismo maximè fuerint solliciti, Act. 2, 38. c. 8, 17. c. 10, 46. c. 22, 16. quorum vestigia etiam nos hodiè graviter sequamur, ordinem nisi à Domino nostro pactum, negligere velimus. Certum est omnem Domini nostri potentiam, huic medio non ita inclusam ac quasi definitam, ut nisi eò qui utatur, salvari non possit, absolutam planè quod involveret necessitatem, infinitasque animarum myriadas, ante hoc Sacramentum corporeis vinculis solutarum, damnationi devoveret: veruntamen quia hoc ejus est con-

4. filium *Luc. 7.* illud nos arripiamus nostrum auxilium, quia illo se subventurum nobis promisit: non verò contemnamus, nisi damnationis legem incurrere velimus. Sin verò sapientiæ divinæ placet per mortis, aliamve necessitatem divinæ hujus aquæ usum, quo minus quis particeps fieri possit, qui tamen non negligat, sed potius velit, antevertere; notemus illud *August. l. 4. de Bapt. c. 22. & 24.* tunc Sacramentum Baptismi impletur visibiliter, cum id ipsum non contemptus religionis, sed necessitatis articulus excludit. Ac *Ambrosii*: cum humana auxilia desunt Christus baptizat. Quibus etiam quid de illis infantibus Christianorum, quos mors prævenit, sentiamus, exponimus. Tardantes autem ipsos ac in primis ob mundi phantasias Baptismum nimis differentes à judicio divino quod illos manet, non excusamus. De illis autem qui extra Ecclesiæ pomeria, ferre judicium vetat illud *Pauli 1. Cor. 5, 12.*

ANTIΘΕΣΙΣ.

6. **P**ontificiorum sententia absolutam propugnat necessitatem, quam *Concil. Trident. sess 7. C. 4.* interprete *Bellarmin. l. 1. de Sacram. cap. 22 §. 3* propositio ita proponit: Baptismus & pœnitentia necessaria sunt positâ institutione divinâ, necessitate mediis simpliciter, Baptismus quidem omnibus, pœnitentia verò iis, qui post Baptismum lethaliter delinquant. Ideò scribit etiam *l. 1. de Bapt. c. 4. §. 2.* probatur, Ecclesia semper credidit infantes perire si absq; Baptismo de hac vita recedant; quod & *Catech. Trident. cap. de Bapt.* statuit: nihil magis necessarium videri potest, quam ut doceatur omnibus hominibus Baptismi legem à Domino præscriptam esse, & nisi per Baptismi gratiam renascantur, in sempiternam miseriam & interitum à parentibus, sive illi fideles sint, sive infideles, procreentur. Sic etiam *Dominicus à Soto l. 2. de nat. & gratia c. 10. Lindan. dixit,* infantes ejusmodi mortis æternæ reos *l. 4. Panopl. c. 15.* condemnandos ad sinistram cum hircis futuros: *Mald. in Matth. 25. 23.* Et hi urgent in primis illud *Nisi Joh. 3, 5.* Ad quod respondemus, ex *Toletio* in hunc locum; Abusi sunt hoc Servatoris loco hæretici, dicentes, neminem posse servari, qui non sit ex aqua & Spiritu regeneratus; quantumvis cum conditione & desiderio Baptismi morte præventus recedat. Et *Lombardol.*

4. c. 2. dist. 4. Sed illud intelligendum est de illis, qui possunt & contemnunt baptizari, quæ eadem probat *Bonaventura in eandem distinctionem. Barradius Tom. 2. Comment. l. 4. c. 1.* verba Christi intelligenda sunt hoc sensu: nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spir. S. re ipsa si potest, si verò non potest, voto. Videat igitur *Lindanus* quos *lib. 4. Pannopl. c. 15.* hæreseos Pelagianæ accuset, cui Protestantes affines esse arguit, quod doceant, infantes sine Baptismo salvari posse. Imò audiant Pontificii omnes suum *Præteolum l. 1. Hæres. 76. & Alph. de Castr. l. 3. Hæres. 10.* Hæresin vocantes absolutam asserere Baptismi necessitatem. Quid multis? non baptizato Sacerdoti ipsi Pontificii in Decretal. salutem tribuunt.

II. *Calvinian.* quam ipsorum Dux *Calvin.* duriter satis declarat *l. 4. Inst. c. 15. §. 20.* quem sequuntur *Ursinus in Comp. Theol. f. 528. Beza in Colloq. Mompel. p. 434.* dicens, salutem nostram hætenus à Baptismo suspendimus, ut nec ipsi salutis fundamentum ab eo inchoemus. *Antonius Sadeel in Resp. ad Fid. Profes. Bordegal. Art. 11.* se fateri dicit, non esse suam & sociorum sententiam, si quis dicat Baptismum ad salutem esse necessarium: minor est audacia & modestior assertio *Chamieric 8. de Bapt. §. 12.* Ubi in præcedentibus necessitatem hypotheticam contra Pontificios satis propugnavit, tandem concludit: credimus Baptismi necessitatem ita esse, ut ejus suscipiendi ordinem Deus impositum voluerit; adeo, ut si propria sive temeritate, sive negligentia, quis omiserit; æquè se exponat æternæ mortis periculo, ut corporeo, abstineat cibo. Quare eam sive temeritatem, sive negligentiam, & vehementer odimus & severè castigamus: nec parentes excusamus, qui liberos suos multo tempore patiuntur alienos à Baptismo. Et ne quis sibi persuadeat, reliquos non agere contra hypotheticam; intueatur quæsumus ipsorum hypotheses & res liquidò apparebit. His accedunt

III. Photiniani, qui cum *Beza* saltem notam professionis & ritum temporarium ab Apostolis liberè assumptum, nobis nullâ necessitate injunctum, Baptismum scribunt. *Socinus l. de Bapt. c. 4. & 16. Catechis. Racov. Germ. c. 4 p. 215. Osterod. Inst. Germ. c. 39. Schmalz. contra Frantz & c.* Quibus omnibus denuò reponimus *Osterodi confessionem: Sententiam esse Christianorum omnium pro mem-*

9.

10.

11.

12.

13.

bris

bris non haberi, qui non baptizaretur; quam procul dubio veritatis perspicuitas expressum mandatum *Matth. 28, 19. 20.* ubi quod, & quousque mandarit hoc Sacramentum videre licet, extorsit.


ΠΡΑΞΙΣ.

14. **N**ecessarium hoc salutis medium adeptus qui est contra quasvis necessitates de læta tandem ἀναλύσει in fide permanens, poterit esse eò certior, quam ipsum medium est caris ac pretiosis. Poterit ergo pia mens se hanc doctrinam erigere atque confirmare de gratia DEI & instigare ad vitæ puritatem, id quod ἀνυβέσει additus sibi polliceri non habet. Urget equidem Pontificia absolutam necessitatem; sed nonne etiam absolutum interitum denunciat liberis absque Baptismo decedentibus, quod ipsis cum parentibus, hac etiam in vita, perpetuum tormentum. Calviniana & Photiniana destruentes necessitatem, evertunt pretiositatem, derelinquunt pietatem & solatii ex hac doctrina inducunt desolationem, id quod ex applicatione est evidentius ac manifestius.
- 15.
16. Ideoque cum deprehendamus adversarios nostros tantam vesaniam à fidei fundamine recedere, literam claram Scripturæ deserere, semper in asserendis dogmatibus claudicare ac sibi contradicere, (quod cauteriatæ conscientię nota non adeo incerta) nihil divini solatii impetiri, sincerę, quę est ex pura fide, pietatis studium nõ docere, sed undiquaque dubitationum perniciosis vorticibus fluctuante conscientiam auditores exponere, serio ex Scripturis sacris discamus nobis cavere, ne qui decepit primo mundi tempore Adamum in perfectione; non veritus est tentando adoriri Christum; nos in fecibus mundi hisce, ubi se transfigurat in Angelum lucis servosque suos in ministros justitię, quos inter vivere cogimur, à veram lucis viam in extremas tenebras deducat, vitęque æternę, ad quam sumus baptizati, subdolè privet.

CONCLUSIO.

17. **R**eliqua, quę Baptismi enarrant efficaciam, unitatem, tempus, locum, ritus & quę sunt similia, in quibus dicam adversariorum experimur, jam erunt reservanda. Faciat Pater misericordiarum, ut foederis hujus semper simus memores, ipsi soli serviamus in sanctitate & justitia, ac tandem per Christum fidei finem consequamur,

Amen.



B.I.G.

Farbkarte #13



MINE JESU!
 O THEOLOGICA,
 DE
MENTO
TISMI,
cundum Verbum DEI,
 LTATIS THEOLOG.
ψευδοδοξίαν
porum, Photinianorum &c.
dicatur,
Renunciationis
 Actu solenni, in Tem-
 Lipsiæ 30. Septem-
 elebrato,
ibita
 à
HÖFER Græcio-
 ent. Ecclesiæ Quedlinbur-
 læ Pastore, reliquarum In-
 storii ibid. Assessore,
cultate Theolog. consequen-
ολογία instituat.
 P S I Æ,
 ORI RITZSCH I.
 M DC XL.

TMD 114

